BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVI 3677

...glica | v: a Hexaglotton;
...ua

CONTRA ANTITRINITARIOS NEGANTES, PATREM, FILIUM, & SPIRITŨ S. VNUM NUMERO & ESSENTIA ESSE DEUM, LIBRI DUO.

AVTORE

Jacobo Schegkio Schorndorffense.

ESAIÆ. VI.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius.

TVBINGÆ,
Apud Viduam Vlrici Morhardi, Anno
M. D. LXVI.

15.071

INSTYTUT OSSOLINSKIEGO.

XVI. Qu. 3677

ILLVSTRISSI-
MO PRINCIPI, AC

Domino, D. Christophoro Duci VVirtem-bergensi, & Teccensi, Comiti Montis Pelegardi, etc. D. suo clementissimo, pacem & gratiam a Deo per Christum pre-catur Jacobus Schegkius D. Medicus, & Phi-losophus.

NON INIVRIA DICAR ego audax & impudens à quouis, Illustriss. Princeps, si mihi vltrò partes illas defendendi receptam cõprobatamq; fide Catholica sententiam de Sacrosancta Diuinitatis Triade, & refellendi eos etiam, qui non idipsum nobiscum piè sentire, & cõfiteri viderentur, quasi prouinciam quandam vltrò suscepisse, aut poposcisse arroganter, à quoquàm coarguerer. Et profectò adduci vt hæc scriberem nullo modo potuissem, nisi duæ non contemnendæ causæ essent, quæ me vindicarent ab hac suspicione audaciæ & temeritatis, à qua cupio me esse & videri etiam alienissimum. Quarum vna est, quòd videlicet altissimum illud mysterium propositum & reuelatum sacris vtriusq; testamenti voluminibus, quamuis simplici fide appræhendendum, & adorandum esset potius, quàm cu-

riosius inquirendum aut scrutandum (cùm qui Maiestatem Dei scrutetur, opprimatur à gloria) nihilominus tanta est petulantia tamen, & vanitas humani ingenij, vt intra imbecillitatem suam se continere nequeat, sed quasi oblitum suæ cæcitatis, & tenuitatis, obtusam aciem suam intendens, in clarißimum illud Diuinitatis lumen, idem patiatur quod illi, qui infirmis oculis præditi dum Solem intuentur non conniuentes, & non cautè, cuius conspectus ipsis non modò non præbeat lumen, & splendorem, sed tenebras & cæcitatem offundat etiam tantam miseris, vt penitus omnem facultatem videndi ipsis eripiat. Vult autem se Deus cognosci Verbi sui præscripto, & ita cognosci, tanquàm per speculum in ænigmate, pro nostro scilicet captu, & pro nostra tenuitate, cogrituri illum scilicet in vita æterna aliquando de facie ad faciem. Tum enim videbimus eum sicuti est, (vt scriptura loquitur) in hac vita autem homo videre hoc modo Deum non potest, & viuere. Sed qui non sunt qui finibus & terminis Verbi Dei non circumscribunt scientiam diuinorum? Omnes scilicet qui relicto Verbo Dei, tenebris & angustijs mentis suæ immensitatem hanc metiuntur, quod Iudæi, quod Mahometani, quod impij Hæretici, cùm priore seculo, tum hac quoq; nostra ætate faciunt, & fecerunt semper. Sunt qui insistentes Scripturæ verbis, eius testimonia & interpretatione falsa quadam suum defendant errorem. Quibus obsistendum est sic, vt illorum argumentorum scilicet quibus nituntur, leuitatem & ruditatem demonstremus: quod fieri certè commodè non nisi à peritis methodi & eruditis in exquisitiore Philosophia potest, & qui iam antè etiam, quid de his rebus sentiendum sit, ex Scripturis sacris, & Orthodoxis Patribus didicerunt. Mediocris igitur harum disputationum cognitio me impulit sanè ad scribendum ea quæ nostri temporis Antitrinitariorum errorem refellerent, & fucum verisimilium argumentorumq; falsitatemq; confutarent. Nec dubito

bito tamen, quin propugnaturi sint veritatem alij multò neruosius: siquidem ingenij sui aciem intendere aliquando voluerint. Mihi autem, & meo conatui, si nihil aliud, certè illud patrocinabitur, quod quidam prudenter dixit: ET IN MAGNIS VOLVISSE SAT EST. *Nec diffido, quin inter mediocres mihi futurus etiam sit locus Philosophanti scilicet, qui hoc in genere scriptis quidpiam mandarint: quod hoc tempore licet insolitum sit & insuetum, nihilominus tamen maximè vtile & necessarium (vt postea docebimus) esse videatur, ad refellendos eos præsertim, qui nulla eruditione Philosophica præditi, sese nihilominus digitis cœlũ (vt vulgò dicitur) attingere arbitrantur, quum de rebus, quarum veritatem ignorant, disputare instituunt arrogantius. Deinde altera fuit causa vt scriberem, quòd T. C. cùm arbitraretur à me etiam, tanquàm Philosopho sed tamen Christiano pietatis hanc causam contra aduersarios posse disputando defendi, (vt qui parum consentaneis argumentis suos errores astruerent, nostram autem doctrinam & orthodoxam, tanquàm falsam, non veris tamen argumentis sed verisimilibus duntaxat & Sophisticis refellerent) me hac in parte defensioni Orthodoxæ sententiæ tanquàm disputatorem deesse noluit, præsertim cùm aduersarijs non tantùm falsa, sed impossibilis etiam descriptio hæc nostra Catholica Fidei vera, & assertio Dei essentia vnius, & Hypostasibus trini esse videatur. Quod ipsum sanè verisimilibus quibusdã, & plausibilibus argumentis probare imperi[illegible] quibusdam illi conantur, quum tamen reuera illorũ absurda & impossibilis sit opinio, nostræ autem fidei demonstrationes, & rationes, nõ tantùm probabiles, sed etiam ex necessitate veræ existant, & Orthodoxæ. Cùm autem Dignis. D. Cancellarius noster D. Iacobus Andreæ mihi quid C. T. vellet, exposuisset, ratus sum me rectè facturũ & officiosè, si volũtati C. T. paruissem, quamuis iusta quadã recusatione vti potuissem*

præsertim cùm non dubitem, quin aliqui odiose sint repræhensuri, quòd non Theologus professione quasi in alienam messem (vt prouerbio dicitur) falcem meam immittam, & tanquàm Saul inter Prophetas esse velim, extra ordinem scilicet Theologus, non mea, sed aliena curans, quanquàm aliena hæc non sunt, aut à quoquàm defugienda, quæ ad salutem cuiusq; pertinent. Quibus ego paulò æquioribus & doctioribus facilè credo me persuasurum, cognatissima scilicet inter se studia esse Theologiæ, & Philosophiæ veræ, cùm Philosophiæ etiam finis sit cum pietate vera iunctæ, non tantùm contemplari, sed etiam in spiritu, &
Ioan. 4. *veritate colere Deum. Et D. Paulus ipse quosdam Philoso-*
Rom. 1. *phos, Deum verum, vt Deum verum, ex visibilibus huius mundi cognouisse testetur, non tamen eos Deum ita cognitum ritè coluisse, quod ipsum, dum vituperat Apostolus, cognitioni Philosophicæ tamen diuinorum non derogat aliquid. Quam Philosophiæ scientiam inimicius quàm verius damnant quidam ineruditi, cuius studium inane, & inutile esse dicunt Theologiam sacram illam & religiosam discentibus. Multùm certè hæc opinio religioni veræ & nocet hodie, & semper nocuit, quum tamen sine Philosophiæ cognitione exquisita & accurata, vera certè à verisimilibus falsis internosci facilè nequeant. Illi interim rudes & ineruditi, qui se & alios erroribus decipiunt, contemptu Philosophiæ odioso id assequuntur apud vulgus, vt plurimùm sapere imperitioribus videantur, quantumuis sint indocti, quibus faciunt fucum sanè, dum pro veris falsa quædam, verisimilibus tamen rationibus & argumentis subdolè & argutè defendunt. Omnes eos qui contrà sentiunt (nolunt enim solidis, & firmis argumentis à doctis conuinci) Sophistas aut Philosophos contemptim appellant: & hac ratione etiam sibi muniunt viam, vt soli sapere, alij verò omnes errare, & hallucinari videantur, quicunq; ipsis non assentiuntur, & ex fontibus Methodi & Philoso-*

phiæ

phiæ ipsos hallucinari demonstrant. Tantum popularis consensus, & indoctæ multitudinis, vulgiq́; persuasio in veritate opprimenda tanquàm conspiratio pestifera quædam potest. Itaq; tum inueniendi, tum iudicandi Veri præcepta Philosophica hæc & regulæ alienissimo crimine Sophisticæ à plerisq́; damnantur, quæ ipsa tamen repræhendere, & pro nihilo ducere, imprimis Sophisticum est, quemadmodum etiam Sophisticum est, varijs, & fallacibus sectis veritatem Orthodoxam labefactare, ignorantia vulgi abuti ad decipiendum, pertinacia, non veritate tueri quod semel defendendum susceperis. Nulla ferè vnquàm fuit tam absurda opinio, quæ non habuerit defensores, & sectatores suos. Difficile enim est verum intelligere, facillimùm falsa defendere, præsertim apud rudes & imperitos, cùm sit veritas vna, multiplex falsitas, & vbiq; obuius etiam non quærentibus error incautos irretiat. Verè autem hoc mihi dicturus videor, nisi accuratius incipiant homines Philosophari, (quod hactenus nō fit) futurum, vt nullus sectarum, nullus errorum futurus sit finis, quandoquidem hac ignoratione accidat, vt neq; accipere legitimè, neq; reddere rationes disputatores imperiti valeant. Sed hæc hactenus. Est porro, Princeps Illustriss. disputatio hæc de Sancta Trinitate difficillima omnium ferè inter Theologicas, & propter cognitionis difficultatem multis hæreseon diuortijs distracta: aliud defendente nimirum Ario, aliud Sabellio, aliud Eunomio, aliud Serueto, aliud alijs, quos longum esset recensere, & à Patribus quidem Orthodoxis iam olim magno studio & accuratione disputationum confutata hæc omnia sunt, quæ nomine erroris damnata antiquitas, in publicis Ecclesiæ concilijs atq; conuentibus, subinde, quasi ex orco, ab hominibus impijs denuò videntur reuocari in lucem. Non ita pridem cœpit noua quædam (vt dicitur) in Ecclesijs Septentrionis præcipuè grassari Hæresis, quæ & Vnum per Essentiam Deum, & personis, seu

Quid sit Sophisticum esse.

Veritas difficilis ad intelligendum.

hypostasibus trinum negat esse, quum (vt isti perperam opinantur)pater scilicet, quoad essentia, non quatenus Hypostasis, generet filium, & Filius, essentiæ causa sit genitus à Patre, non autem duntaxat sit genitus respectu, vt ipsi impiè loquũtur, inanis, & imaginariæ cuiusdam Relationis. A vocabulis Patrum & Scolasticorum penitus abhorrent, existimantes his vocibus alienas res à scriptura significari, quum à primordio Ecclesia his formulis scilicet loquendi non sit vsa. Non autem discedendum censent à modis loquendi scripturæ sacræ consuetis & vsitatis. In quo sanè muniunt sibi eandem viam, quam olim Arius, ad errorem, qui negabat Filium Patri esse ὁμούσιον, *id est, coëssentialem, & consubstantialem, quia non reperiretur scriptũ scilicet vocabulum illud in sacris. Quasi verò interpretibus Sacrorum scriptorum in rebus obscuris non alijs liceat vti verbis, quibus obscura res fiat manifestior, & dilucidior, non equidem veritate, sed oratione, & phrasi mutata rei explicandæ. Nam quod non præscriptis illis obscuris, certè alijs verbis, nobis autem planioribus, quod non paucioribus, & implicitis, pluribus certè, & apertioribus explicari poterit: nec profectò alio modo Veritas, quæ latet, patefit. Nisi forsan sit, qui quamq; rem difficilem & obscuram per se, nulla adhibita interpretatione posse intelligi opinetur. Prudenter enim nos monet Aristoteles, vt nomina etiam noua faciamus, quo magis perspicuus sit sensus veritatis, & facilius interpretando assequamur quod dicitur alioqui obscurius & breuius. Itaq; non si quid scriptura non dicit, ob id ipsum contradicit etiam, vt D. Augustinus inquit, & interpretes certè quosdam non ineruditos & Methodi ignaros desiderare obscuritatem scripturarum, seruator Christus ipse monet, cùm hortatur vt scrutemur scripturas, nempe vt interpretemur eas verbis & sententijs, quibus obscuritas earum possit intelligi, congruentibus vniuersæ veritati scripturarum tamen, non alienis & ab analogia*

Aristot. libro 2. Ethicorum ad Nicom. Πειρατέον ὀνοματοποιεῖν σαφήνειας ἕνεκα, καὶ τοῦ εὐπαρακολουθοῦτος.

Fidei

Fidei detortis, quæ nimirum Analogia fidei, debet esse regula, & norma interpretationis scripturarum, non hominum, & hypocritarum indoctorum autoritas, deprauans scripturæ sacræ veritatem & consensum. Quòd si tam faciles essent scripturæ ad intelligendum, quid opus fuit tot earum interpretibus? & à dissensionibus, & sectis profectò non tantum periculi fuisset omnibus seculis, si absq; errore quiuis eas intelligere, & interpretari posset, & non eruditione etiam quadam opus esset, qua omnium scripturarum consentiens veritas demonstraretur. Optimi autem sunt interpretes, qui non ad alienum & non abhorrentem à vero sensum scripturas detorquent, sed omnia sic explicant, vt nulla instantia scripturarum (non opinionum certè humanarum quæ ipsis interdum affinguntur) poßit veritas interpretationis coargui. Verum enim ipsum sibi per omnia quasi cõsonat, quam apud Platonem Socrates, pulcherrimam quidem, & iucundißimam dicit esse καὶ μυστικωτάτην *harmoniam. Nos itaq; scripto illo dabimus operam huic harmoniæ, vt videlicet intelligatur, nihil contra Catholicum sensum seu potius consensum de sancta Trinitate posse dici: contra hanc autem Antitrinitariorum opinionem (ex dissonantibus scilicet & absurdis compositam) multa posse dici, quibus tanquàm falsa & impia deprehendatur. Methodicè autem, & Philosophicè, & non, vt ipsi solent, crassa (vt dicitur) Minerua quadam & pingui, ac simul etiam secundum analogiam fidei Theologicè contrà agemus, simul veritatem Catholicam explicantes, & aduersariorum non tantùm errorem, sed erroris causam, tum confutantes, tum declarantes etiam, & breuitatis causa, testimonijs plerisq;, tam sacræ scripturæ quàm Patrum omißis, vt quorũ copia sit in aliorũ scriptis, & à me hoc loco non debeant anxiè exigi, quandoquidem nulla autoritate hominum, sed sola veritate demonstrationes illæ nitantur, quas in hoc opere Aduersarijs opponemus, vt qui suam ipsorum autoritatem*

Qui sint optimi Scripturæ interpretes.

Pulcherrima est Veritatis Harmonia.

tem

tem non solùm opposuerint, sed etiam præposuerint Ecclesiasticis scriptoribus omnibus. Veruntamen sic ego statuo, Princeps optime, & Illustriß. nisi ad fontes rationum & ad principia prima veritatis accedatur, semper habituros receptum aduersarios quò confugiant, quo suum errorem veri similitudine quadam occultent. Patefactis autem omnibus quasi fundamentis causæ, omnes scilicet illis latebræ errorũ eripientur, & in manifestam lucem veritatis nõ inuiti deducentur, vt spero: quam ipsi non minus atq; nos, si boni sunt, & rationem habent salutis suæ, aspicere desiderant. Quæso autem C.T. æqui & boni vt faciat meam hanc operam, quam magis voluntate mea prompta & obsequente commendare C.T. possum, quàm spe perfectionis aut laudis cuiusdam, præsertim in tanta breuitate temporis, vt interim de difficultate tractationis nihil dicam. Debemus autẽ nos omnes quisq; pro virili sua gloriã nominis Dei, modis, & studijs quibuscunq; possumus, propugnare & defendere. Nec nostrum illud minutum æs repositum in gazophylacio Dei displiciturum Deo & creatori spero nostro, & præterea hanc operam nostram non displicituram C.T. existimo, cui me humiliter, vt par est, commendo.

Mar. 12. Luc. 21.

*

C. T.

Subditus

Iacobus Schegkius D. Medicus & Philosophus.

IACOBI SCHEG-KII SCHORNDORF-fensis Liber primus contra Antitrinitarios.

De sacrosancta Trinitate Dei omnipotentis semper tot sectarum litigatũ discordijs, deqꝫ vnitate Dei vera & Christiana ita est dimicatũ & in contrarias partes opinionibus discessum, vt inter eos, qui Christiani nominis fuerunt, de nulla re magis variè & impiè, quàm de hac omnibus seculis sit ab Hęreticis disputatum, & nihil etiam ineruditis hominibus facilius ad decipiendum compositis argumentis quibusdam persuasum, quàm vt non rectè de Deo sentirent. Inprimis autem pertinet hoc ad pietatem & veritatẽ cultus diuini, vt ritè & ex præscripto verbi Dei à nobis cognoscatur Deus. Nemo enim cõfitebitur illum, nemo venerabitur, aut colet verè, quem ignorat Deum verum esse. Nec ex parte tamen cognosci etiam secundũ Scripturas, in hac vita & ex parte ignorari poterit Deus, quandoquidem sit vndiquaqꝫ ex præscripto Verbi sui, & non quibusdam opinionibus nostris cognoscendus, aut potius fingendus, & adumbrandus vtcunqꝫ Deus. Loquor autem de perfectione hac, non qua cognoscetur à nobis in vita æterna, sicuti est, sed qua perfectè cognoscitur secundum Verbum suum, quo nobis verus describitur Ioan. 17. Rom. 10.

BIBL. Z. N. IM. OSSOLINSKICH

Deus Essentia vnus quidem, sed tribus hypostaseωs differentijs nihilominus discrepans, Patris scilicet, Filij, & Spiritus sancti. Quę ipsius est perfecta, secundum scripturas, cognitio, imperfecta autem nihilominus quatenus nunc quasi per speculum in ænigmate, in vita autem æterna à facie ad faciem perfectè Deum, sicuti est, cognoscemus. Perfectus enim & vnus, perfectè, & vnicè cognito verbo Dei cognoscitur, aut ignoratur: & non sine Trinitate tamen vnus, nec sine
Ioan. 14. vnitate, Trinus, vt qui Filium non cognoscit, etiam patrem nescit, & qui Filium non rectè cognoscit, id est, ignorat quomodo generetur à patre, & patrem esse Patrem nesciet, quia ignorabit veritatem paternæ hypostaseos, idem sentiendum de processu Spiritus sancti ab vtroq;. Catholica autem Ecclesia, quæ est
Eph. 2. Deut. 6. fundata super scripturis Prophetarum & Apostolorum, docuit nos, quisnam, & qualis Deus sit noster,
Math. 28. Vnus scilicet essentia, & Trinus hypostasibus, non trinus, aut triplex tribus essentijs, neq; sic Vnus, vt differentia in eo nulla sit hypostatica, Patris scilicet, Filij, & Spiritus sancti. Vnitatem quidem Essentiæ multifariàm discerpserunt quidam Hæretici. Multitudinem autem hypostaticam contrà in vnitatem essentiæ impiè quidam contraxerunt. In primis autem deletis differentijs personarum Trinitatis, Iudæi, & Turcæ omnem trinitatem penitus sustulerunt. Nec defuerunt illis verisimiles quædam & speciosæ rationes, quibus suum errorem astruerent, veritatem autem fidei Catholicæ impudenter oppugnarent & argumentis falsis refellerent, quorum omnium impietas & væcordia nota est ex historijs Ecclesiasticis, vt

hoc

hoc loco prolixius non cõmemoranda videantur esse. Omnes autem qui rectè sentiunt de Deo, confitentur Deum Verũ, Omnipotentem, Essentia, seu Substantia, seu οὐσίᾳ esse vnum, & trinum eundem, nõ substantia, (nequit enim fieri, vt vnũ & idem, simul sit Vnum & Multa, ratione Substantiæ) sed Subsistentia, quam Græci vocant Hypostasin, quæ quomodo differat à Substantia, suo loco dicemus. Inter Turcas, & Orthodoxos medij sunt inter Christianos hi, quos appellant Hæreticos, seu Sectarios, qui vnum quidem Deum trinum esse dicunt, sed nec de vnitate, nec de Trinitate rectè & Catholicè sentiunt. Nihil certè tam ineptè & inconsentaneè de Deo potest aut potuit dici, quod non studio quodam peruersè sentientium sit defensum. Sed in omnibus causa fuit erroris, vel ignorantia rationum methodi certarum, quibus peruenitur ad veritatem, vel ambitio & pertinacia vincendi in mala etiam & impia, victoribusq; inprimis perniciosa causa: quum malè sentientem melius sit vinci certè quàm vincere, tanquam καδμεία (vt dici solet) νίκῃ (qua nihil calamitosius) triumphãtem. Nostro seculo exortus est Seruetus, qui neq; Verbum, neq; Spiritum sanctum in Deo agnoscit subsistentes οὐσιωδῶς, seu substantialiter, sed Deum vnum, tanquam Vertumnum, aut Protea quendam, fingit personas has repræsentantem pro tempore, & pro ratione dispensationis cuiusdam, quas Vnus ille Essentia Deus respectu creaturarum exerceat aut potius adumbret extrinsecus. Sed vanissimus istius hominis error & væcors delirium facilimè disputando confutatur, cùm in plerisq; tam monstrosa scribat, vt ipse sese suo (vt dicitur) gladio

De Trinitate, Sectarij medij sunt inter catholicos, & Turcas.

Errorum causæ duæ.

Serueti error.

dio iugulet, & non longè petitis argumentis sit opus ad refellendã ipsius temeritatem & væcordiam, qua sese opponit catholicæ fidei impudentissimè. Recentior autem hic est error quorundam, qui tria hæc, non vmbratiles quasdam, & per accidens differentias, sed substantiales & essentiales esse opinantur, vt numero essentiarum scilicet differãt personæ, quemadmodum essentijs & numero differunt, gignens, & genitus homo, qui non ἰδία, seu substantia vna numero sunt, sed quia ratio duntaxat logica quædam substantialis sit his communis, vt Speciei ratio communis est duobus aut pluribus hominibus, & eò Vnum hominem, plures dici: nõ tamen vnum numero & essentia hominem vnum dici putantur. Quia verò Deus sit Substantia, & τόδε τι. i. vnum numero, seu aliquid seipso subsistens, numero aliquid vnum esse, & quia non tantùm Pater sit Deus, sed etiam Filius, & Spiritus S. idcirco quemlibet horum, essentia sua propria (quia Deus sit) subsistere censent, quandoquidem Deum esse, sit Substantiam quandam, τόδε τι, & Essentiam esse. Ex quo putant sequi, vt tria hæc, vna ad numerum non possint esse Essentia, seu Substantia, sed numero plures. Attamen nihilominus quadam Essentiæ ratione eadem diuinitatis eosdem participare, cum sit omniũ vna omnipotentia, eadem bonitas, eadem sapientia, trium, scilicet secundum Rationem vnam quandam, & non singulari essentia vnam. Alioqui censent non posse defendi Trinitatem cum Vnitate Dei, aut Vnitatem cum Trinitate esse coniunctam. Nam si Essentia sit vnus, & non Trinus essentia, futurum censent, vt nec Pater per se, nec Filius, nec Spiritus sanctus sit per

Opinio negantium TRINITATEM essentia vnam esse.

Aduersarij Logicam Vnitatem tribus hypostatibus, seu personis affingunt.

Opinio Antitrinitariorum.

Alia est ratio Essentiæ, quæ est γένικα καθόλου, & aliud ipsa Essentia, quæ est singularis, & vna Numero.

Argumentum erroris, quo seipsos & alios decipiunt aduersarij.

per se Deus (quum tres tamen sint, & non Vnum) quandoquidem Vnum illud commune, quædam numero essentia sit vna, & dicatur à nobis per se & simpliciter etiam esse Deus. Aut si tria hæc simul etiam sint vnus quidam per se Deus, tum non trinitatem, sed quaternitatem fore Deorum, si de singulis etiam prædicetur Deus. Aut si vnus ille Deus Essentia, sit quasi concretus ex tribus hypostasibus, futurum, vt Deus Pater, sit Deus ille Trinus, & Filius etiam, sit etiam Deus ille Trinus: idem dicendum de Spiritu sancto, quæ omnia sint absurdissima & impossibilia dictu, quare hypothesin quoq; fore falsam & impossibilem, qua posita, ista sequantur falsa & impossibilia. Hæc sunt ferè quibus dogma suum illi Antitrinitarij tuentur. Et præterea hoc addunt, his verbis & phrasibus, quibus scriptura vtatur, nobis loquendum, & non verbis quibusdā ex Philosophia petitis de his rebus disserendū, quemadmodū de his disputarint olim Patres & Scolastici Theologi, explicantes Mysteriū Trinitatis cōmentitijs quibusdā rationibus & vocabulis. Neq; enim scripturam alicubi mentionem facere, vel vnius Essentiæ, vel Trinitatis, aut Trini, vel personarum, aut Hypostaseos, quæ sanè omnia vocabula posteriores confinxerint Theologi, & ex Philosophia in Theologiam perperam traduxerint, quodammodo adulterantes sensum huius mysterij alienis & abhorrentibus à veritate rei vsi descriptionibus.

Primùm ego miror, quòd isti tantopere abhorrent à Philosophia, quæ aliud reuera nihil est quàm singularis quædam eruditio exquisitè & accuratè disputandi & disserendi de qualibet re (cuiusq; tamen di- Responsio. Quid sit Philosophice disputare,

 sciplinæ

ſciplinæ, & Profeſſionis principijs, & fundamentis inſiſtens) quæ controuerſiam habere poſſit, quemadmodum autor eſt Ariſtoteles in Politicis. Deinde, cùm videamus homines ignaros veræ Philoſophiæ non modò à veritate aberrare in multis, ſed etiam ipſos inter ſe diſſidere, quî fit vt errorum culpam omnem reijciant in Philoſophiam, quæ tamen cauſa non ſit errandi ipſis (quum de ignorantia eius meritò poſſint gloriari tales diſputatores) quippe profitens methodum inueſtigandæ veritatis à vero aberrare nequit, & eius ignari ferè ſemper non rectè ſentientes hallucinentur, nõ recta via incedentes. Deinde etiam tam varijs tamen vt ipſi ſolent, opinionibus diſcordent nequaquam veri Philoſophi inter ſe, imò tota in id incumbat & vnicè in eo elaboret Philoſophia vera, vt caligine multicipitum errorum diſcuſſa, & profligata ignorantia, ex omni parte veram, ſynceram, conſentientem rationem, & intelligentiam rerum conficiat, nullum falſitati aut errori dans locum. Sophiſtæ enim ſunt, non autem Philoſophi, qui ſpecie & ſimilitudine veri alios decipiunt, qui tenebras opinionum incautis, & errorum præſtigias ineruditis offundunt, qui malunt videri, quàm eſſe intelligentes rerũ. Et vt contemptores tandem Philoſophiæ intelligant, ſine exquiſitiore illa & Philoſophia vera, & preterea Dialectica arte, ad veritatem & concordiam non poſſe perueniri, præſenti diſputatione hac (Deo volente) efficiam ſedulò, & præterea quando à vero aberretur, non philoſophiam, ſed ignorantiam Philoſophiæ eſſe cauſam erroris oſtendam verè & planè. Cuius hoc loco profectò mihi non minus eſt neceſſaria

Aliud eſt Sophiſtica, & aliud Philoſophia vera.

ria

ria atq; ipsius orthodoxi dogmatis defensio, quum verum dogma genuinis scripturæ argumentis non possit satis pro dignitate defendi sine exquisitiore Philosophia, quę si magistra sit errorum (vt putant aduersarij) & ad fallendum tota sit composita, ab hac nobis certè nullum præsidium erit contra errores disputandi: scilicet hoc præiudicio iniquo ab aduersarijs damnata & exclusa pro nihilo scilicet omnem eruditionem habentibus. Nam vbicunq; peti acrius aut vinci se senserint, statim Philosophiam seductricem & fraudulentam disputatricem sibi opponi testabuntur. Nos contrà, veritatis methodicę magistram Philosophiam veram esse dicimus, & vt sine Grammatica nemo rectè, sine Rhetorica nemo eleganter, ita sine Philosophia, nemo verè, & consentaneè de rebus difficilibus & perplexis loqui ac iudicare potest. Verùm hac querela omissa, ad rem ipsam nos conferamus. Propter opinionum dissidia, & propter interpretationem variā scripturarū, coacti sunt Patres, & Scolastici Doctores vti vocabulis his Philosophicis, & in scriptura non vsurpatis, vt sensum scripturæ scilicet ipsum sibi per omnia conspirantē & cōcordem esse ostenderent. Philosophi enim est videre, qua via & ratione quæq; res sit tractanda, ne quid discrepās, aut dissonū sit, sed omnia sint omnibus consona, & cōsentanea, quod veritatis pręcipuū est signū, quū non tantùm à veris, sed ipsa quoq; inter se discrepēt ac dissentiant falsa. Enimuero confitemur omnes, Vnū esse Deum, nec nō patrē esse Deum, & Filium esse Deum, & Spiritum sanctū, sed non est modus vnus, non idem sensus, non eadem interpretatio. Nos in præsentia sacrarum scripturarum

Philosophia, est magistra veritatis Methodicæ.

Quæ causa sit quod Patres & Scolastici, alijs Phrasibus sint vsi, seu alijs formulis loquendi, quam scripturæ vsitatis.

rum autoritate inprimis, ceu firmissimo veritatis fundamento posito, nec relictis omnino Patrum testimonijs, methodicè ac Philosophicè demonstrabimus, veram & Orthodoxam esse Patrum sententiam de Sacrosancta Trinitate. Si quæ sunt alia, ijs abundè satis à doctis & veteribus Theologis est factum, vt non sit opus talia hoc loco repetere aut commemorare prolixius. Disputabimus autem contra eos, qui vnitatem Essentiæ, cum triplici personarum subsistentia negant rectè & conuenienter declarare Dei substantiã, seu Diuinitatem, qua scilicet ratione, ipsa Vna simul & Trina non possit dici Dei Essentia. Ergò primùm constet nobis oportet: Quomodo Deus sit Vnus, & quo pacto Trinus, Nam de modo controuersia est. Si vna eademq́ significatio esset Vnius, & Trini, tum nullus controuersiæ & dubitationi locus, nulla certè inter partes dissensio aut certamen esset. At non esse vnum modum, dissensiones & opinionum diuortia declarant. Itaq; si falsum est dicere Deũ ratione ESSENTIÆ, seu substantiæ, esse vnum, pro eo vt videtur Aduersarijs his orthodoxæ sententiæ, haud dubiè verum erit, quod negatur, nempe, Deum, vt ESSENTIAM numero vnam non esse vnum aliquid. Certamen est de modo. Nam quidam negantes Deum Essentia vnum, nihilominus alio quodam modo, Vnum esse dicunt essentia, sed quo tamen non explicant. Nolunt enim videri, quòd numero plurium Deorum sint assertores. Attamen ad explicationem satis non est, si dicant, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse vnum Deum, quia sint eiusdem sapientiæ, virtutis, potentiæ, Iustitiæ, Immensitatis, Bonitatis. Nam & de his

Cardo Disputationis.

Quæritur, quomodo sit Vna omnium diuinitas.

his quæritur modus, Vtrum scilicet sint eiusdem virtutis, & bonitatis, quemadmodum duos aut tres homines dicimus esse eiusdē bonitatis, aut virtutis, quia videlicet ijs vna specie virtus, & bonitas accidat: an verò sint eiusdem virtutis, & bonitatis, non quæ specie logica, vel accidente vna sit, sed Numero, & Essentia sit vna. Non igitur quiescimus, donec ratio peruenerit ad portum certitudinis, & præternauigarit omnes fluctus ambiguitatis, quibus solet vacillare dum nihil certi dicitur aut significatur, quò tamen peruenire nequit ratio sine remigio partitionum, quibus partitionibus D. Paulus etiam præcipit, vt decenter scripturas & articulatè diuidamus, quod ipsum vocu- 2, Tim. 2.
lo ὀρθοτομεῖν. i. articulatè diuidere, alicubi expressit Apostolus ad Timotheum scribens. Quæramus ergo rursus: Quomodo Deus est Vnus? quoniam aliter tu, atq; ego, vnum ipsum esse dicis. Omnes modos Vnitatis tibi proponam ex Philosophia, postea optio tibi erit, vt quonam velis Vnum dici, ostendas. VNVM, quot modis vsurpari soleat.

Aliud ergo est, quod GENERE, aut SPECIE vnum dicitur, aliud, quod SVBIECTO, seu τῷ πάθει, i. affectione vnum, aliud, quod DEFINITIONE, aliud, quod ratione, qua CONTINVVM aliquid est, aliud, quod NVMERO, & vt τόδε τι, i. res vna singularis, seu ESSENTIA vnum solet appellari. Orthodoxi Deum dicunt esse Vnum simplicissimum, nempe ad Numerum vnam essentiam. Simplicissima Vnitas est, qua Essentia Vna ad numerum dicitur.

Quippe nullum est magis, & simplicius Vnum, quàm Deus, qui est principium omnis multitudinis, quæ conspicitur esse in rebus creatis. Aduersarius noster dicit, non esse Deum vnum Essentia, id est, numero I. Tres errores de Vnitate & Trinitate recensentur.

 vnum,

vnum, sed specie vnum, Numero autem, & Essentia
II. triplicem. Seruetus, Deum vnum, vt Sabellius, esse docet, sed interim vnitatem hanc, κατὰ πάθει, i. affectione seu varijs dispensationibus vnum esse interpretatur.
III. Iudæi, & Turcæ, simpliciter vnum, nec aliquo modo trinum opinantur. Non sunt plures modi, aut si sint, commonefaciat nos de his aduersarius, discere enim, & docere sumus parati. Deus, cùm significat ἑνιαῖον, vnũ quiddã Numero, & Essentia, ex necessitate erit. Simpliciter enim Vnus esse dicitur, nõ apponendo determinationem quandã, vt cũ Genere, vel Specie vel Definitione, vel cõtinuitate, vel κατὰ πάθει, i. affectione vnũ esse quippiam pronunciamus. Audi Israël (inquit Scriptura) Deus tuus Dominus vnus est. Non aliquo modo, sed simpliciter vnus est; nempe Essentia, & Numero, seu, vt τόδε τι, i. singulariter vnus. Hæc prima est, & principalis vnitas, quare principio etiam conuenit. Ex quo sequitur, vt Deus non sit aliquid vnum per Accidens, seu κατὰ πάθει i. affectione, nam mutabilis esset. Neq; Genere etiam aut Specie Deitatis aliquid est vnum, nam quæ sunt hoc modo Vnum, Numero vnum esse non possunt. Etenim Multa sunt numero, quæ Specie νοητῷ vnum dicuntur, cuius Multitudinis causam esse Materiam, Philosophi dicunt. Quare si non sint vnum Essentia, seu Numero, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sed specie quadam logica sint vnum, propter concretionem scilicet materiæ cuiusdam, numero tres Dij erunt, quod est absurdissimum dictu, cùm omne materiatum sit mutabile, & finitum. Atqui nec specie Vnum esse possunt, quum alia sit definitio Dei Patris, & alia Filij, & alia Spiritus sancti, Quorum

Conuenit Deo, vt sit simpliciter vnus.

Deut. 6.

Patrem, Filium, Spiritum sanctum non posse vnum esse Speciè.

Quorum autem Species, eorundem Definitio quoq; Vna est. Genere igitur Deitatis aliquid vnum erunt. At quæ Genere sunt vnum, propter contrarias differentias, specie, & definitione non erunt vnum. Ex quo concludendum, alia Specie & Essentia diuinitatis Patrem esse Deum, & alia, Filium, & alia, Spiritum sanctum. Nam aduersarius dicit, Patrem, quia pater sit, esse Deum, & Filium, quia sit filius, & Spiritum sanctum, quia sit Spiritus sanctus, esse Deum: & interim rationem vnam esse dicit omnium Diuinitatis, Bonitatis, Omnipotentiæ, & aliorum, quibus diuinitas significatur. Quòd si specie discrepant, quomodo quæso pater omnipotens erit, cum extra ipsius definitionem, & essentiam sit filius? quare deerit ei Filij omnipotentia, & Filio, Patris deerit. Nec simul tres aliquid omnipotens erunt, cùm ex finitam habentibus potentiam nullum constituatur infinitam habens potentiam: nam quod ex finitis est constitutum, ipsum quoq; finitum esse oportet. Vt interim non dicam, ea quæ Genere sint vnum, non posse habere eandem perfectionis differentiam, vt λογικὸν, differentia, character est hominis, sed ἄλογον, est equi differentia. Quòd si perfectio Deum declarat, & perfectio hæc diuinitatis sit patris differentia Essentiæ, hac nimirum carens Filius & Spiritus sanctus, specie diuinitatis scilicet ambo carebunt, qua Pater etiam (secundum Aduersarios) vnus & solus dicitur esse Deus. Ex quo sequitur, vt nec Specie, nec Genere Diuinitatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus Vnus verus Deus possint dici. Eodem accedit, quòd Vnitates hæ, quibus significatur νόημα καθόλου, i. species Vniuersalis nequaquam sint

Non posse Trinitatem esse vnam Genere.

Si Specie discrepent, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, infinitum nullum fore Deum.

ſubſtantia, aut pars ſubſtantiæ rerum, ſed duntaxat Rationes ſint quædam ſubſtantiales, quæ mentis noſtræ ſint quędam logica Accidentia, & non res quædam ſeipſis ſubſiſtẽtes, (vt viſum Platoni fuit,) vt tali formula Vnitatis ſcilicet ſuam tueri opinionem haud poſſit Aduerſarius. Ex his quæ diximus liquet, Deum, ſi ad numerum non ſit Vna eſſentia, futurum, vt trium diuinitas, aut ſpecie ſit vna, aut Genere, quorum neutrum eſſe verum, ſuprà commemoratis perſpicitur argumentis. Et præterea hac ratione ac modo Diuinitatem communem non fore οὐσίαν, i. Eſſentiam, ſed Accidens & νόημα, i. intelligibile quoddam, quod differentibus numero rebus propter intelligentiam mentis noſtræ accidat, qua non ſeipſis, & ſimpliciter aliquid ſint Vnum, ſed intelligantur tantùm eſſe, conſtat inter omnes eruditos. Quicquid enim verè & ſimpliciter EST, id vnum numero, ſeu Eſſentia, & ſingulare eſt. Quare ſi DEITAS verè eſt, imò ſi ante omnia eſt, quæ dicuntur Eſſe, ex neceſſitate aliquid vnum Eſſentia, & numero erit, quemadmodum ſentit Orthodoxa Eccleſia, & non erit multa numero, vt ſentiunt qui vnitatem Eſſentiæ in Deo negant. Præterea, ſi, quemadmodum illi dicũt (nempe Aduerſarij) Pater ſolus eſt ſimpliciter Deus, & Pater eſſentia diſcrepat ab Eſſentia Filij: Si ergo Pater ſolus, & vnus ille Deus eſt, quem ſcriptura ſubinde dicit vnum (propter principatum ſcilicet originis,) ſequitur, vt extra ipſius eſſentiam non ſit Deus; Sed Filius, & Spiritus ſanctus ſunt extra illius eſſentiam (vt illi dicunt,) quare Deus non erunt, ſed creatura Dei, quia diſcrepant Eſſentia à Patre. Quod ipſum

Generis, & Speciei Vnitas, ſunt Accidentia, & νοήματα quædam.

Vere Vnum, eſt Eſſentia, & numero Vnum.

(Aduerſarij dicunt) Deum Vnum, in ſcriptura, non niſi Patrem appellari.

sum quàm consentaneum sit scripturis, ipsi viderint. Preterea: si Essentia patris est, τὸ ἀγέννητον, i. ingeneratum & Nasci, est Essentia Filij, & Processio, est essentia Spiritus sancti, tres nimirum Dij essentia, & nõ vnus essentia seu numero, neq; καθόλου quadam ratione Vnus Deus esset. Sed his tribus differentijs aduersarij describunt nõ personam duntaxat quamlibet, sed essentiam quoq; simplicissimam cuiusq; personæ, numero tres scilicet fingentes essentias, id est, tres Deos, nec profectò quomodo Deus vnus sint, possunt dicere. Nam si Pater nihil aliud sit quàm Paternitas ipsa, & ἀγεννησία, nihil cõmune scilicet habebit cum Filio: aut si diuinitatem communem habet, aliud igitur Diuinitas, & aliud Paternitas erit. Igitur qua diuinitate Pater Deus est, eadem Filius quoq; erit, vel eadem ad numerum, vel eadem τῷ εἴδει. Si eadem sit τῷ εἴδει diuinitas, differentiæ Multitudinis causa erit in Diuinitate quiddam ὑλικὸν. At simplicissimo vt nihil inest ὑλικὸν, ita nec πάθος quoddam ὑλικὸν etiam ei inesse poterit. At multitudo essentiarũ, πάθος est ὑλικὸν, quod Philosophi intelligunt, rudes verò in Philosophia & indocti non animaduertunt. Sed nos Vnum essentia, id est, numero dicimus Deum vnum esse. Restat, vt quomodo differentijs hypostaticis sit trinus, planum faciamus. Aduersarij quidem, vt Vnitatem non intelligunt, ita nec verum modum Trinitatis explicare possunt, sed tantùm nobiscum rixantur de vsu vocabulorum, & quia vocabula nõn sint vsurpata in scripturis, ideo Deum quoq; Essentia vnum, & hypostasibus trinum, in scriptura esse propositum nobis negant. Quærendus itaq; modus, quo vnum Essentia,

Aduersarij differentias hypostaticas Essentiæ, pro Essentijs numerant, qua ratione tres numero Deos esse dicunt.

seu Numero nihilominus multa esse possit, & nō quidem Essentia multa, (nam pugnaret hoc cum hypothesi) sed multa alio quodam modo, quos modos iam obiter etiam cōmemorabo, ne ambiguitati sit locus. Difficilius est multò de Trinitate quàm vnitate Diuinitatis loqui, quòd videlicet numerus & multitudo Diuinitati repugnare videatur. Proinde non quemadmodum tria hæc sunt vnum consubstantiale, seu ὁμούσιον, id est, eiusdem substantię, eodem modo possunt etiam esse quiddam compersonale, aut ὁμοπρόσωπον, id est, eiusdem personæ. Vocabula hæc quamuis in scriptura non reperiantur, tamen necesse est nobis, vt ijs interpretando hoc mysterium vtamur. Describendus enim est modus Trinitatis, cùm alius alio modo trinum esse fingat Deum, vt limetur veritas, & ab erroribus Ecclesia vindicetur, dum legitimis quibusdam rationibus & verbis exprimuntur, quæ per omnia sint consentanea scripturis. Quòd eodem modo Trinus, quo Vnus, non possit dici, paulò antè monuimus. Quot igitur modis, Vnum Essentia, particeps sit multitudinis, porrò considerandum. Non oppositos recensebo prius commemoratis VNIVS, modis, sed alios quosdam ad præsens institutum necessarios, adscribam. Nemo enim erit opinor, qui genere, aut specie, aut diuisione in partes, diuiduum Deum dicat. Accidentibus diuinitatem diuidit Seruetus, dum illum personari inquit modò hac, modò alia forma dispensationis, qua ratione multiplicem τοῖς πάθεσι Deum facit. Quia vero Deus simplicissimum est vnum, nihil scilicet in ipso erit mutabile & quod non sit Deus, Ipseq́ adeo, & Esse ipsius, idem omnino erunt,

Qua ratione Deus Essentia vnus nihilominus dicatur Trinus.

Quomodo Seruetus Trinum dicat esse Deum.

Quo pacto res incomparex. sint

erunt,quo ſanè modo duntaxat res incorporeæ dicuntur eſſe Vnũ, naturales aũt & corporeæ,hac ſinceritate & ſimplicitate eſſentiæ nõ ſunt præditæ, quoniã Ipſæ,& Eſſe earũ(propter concretionẽ materiæ)non ſunt vnum. Quæ quomodo intelligi debeant,non eſt pręſentis loci explanare, ſed in Philoſophia docentur hæc: quorum cognitio tam eſt neceſſaria, vt ſine his, quæ de hoc myſterio dicuntur, nullo modo queant perfectè intelligi. Deus igitur, atq; eſſe Dei,nihil aliud eſt ꝙ optimum & maximũ eſſe, à quo,per quem, & in quo ſint omnia. In definitione nullus locus eſt accidenti,eaq; compræhenduntur etiam Eſſentiæ definiti partes omnes,quarum partium cauſa, Definitio quodammodo multa eſſe dicitur, ſed iſtiusmodi multa, non quæ Eſſentia, ſed quæ ratione quadam, ſeu λόγῳ duntaxat inter ſe diſcrepent. Vnum enim quoduis, eo modo quo eſt Vnum, nequit eſſe Multa, vt vnum eſſentia,ſeu τῷ εἴδει,i.ſpecie non poteſt eſſe Multa τῷ εἴδει, i.ſpecie,ſed Multa tñ nihilominus eſt cauſa ſuarum partium, vt, idem non ſunt, quo ſignificatur ſpecies,& quo ſignificatur genus ſpeciei,differunt enim partes hæ definitionis τῷ λόγῳ, i. ratione. Talia Scolaſtici ſuo more, dicunt differre formaliter, quæ Ariſtoteles τῷ λόγῳ,i.ratione inquit differre. Vt Animal, quamuis ſit in definitione & Eſſentia Hominis, differt tamen ab Hominis ſpecie, τῷ λόγῳ, i. ratione, quum Animalis proprium ſit, dormire, aut vigilare (quia Animal)at Hominis,quia Homo,proprium illud nõ ſit. Alioqui enim ſi τῷ λόγῳ,i.ratione eſſentię idem & vnũ eſſet Animal,atq; Homo, Definitionem quoq; haberent eandem, & proprium per ſe idem vtriusq;.

Vna Eſſentia.

Quid ſit DEVM eſſe.

QVID ſit, ſimpliciter Deus.

Rom.11.

Definitionis partes differunt non quidem Eſſentia, ſed τῷ λόγῳ.

Quid ſit differre τῷ λόγῳ, ſeu formaliter.

Vnus modus, quo Vnum Eſſentia dici poteſt, Multa eſſe.

triusq; esset, nec contradicentia de ipsis enunciarentur, quum τῷ λόγῳ, i. ratione eadem penitus & Numero sint vnum atq; idem, vt Aristoteles docet libro septimo Topicorum. De quocunq; igitur possunt contradicentia verè enunciari, licet sint οὐσίᾳ, i. Essentia vnum, nihilominus ratione, seu vt scolasticè loquar, formaliter, καὶ τῷ λόγῳ, i. ratione, Multa, & non Idem, seu non Vnum dicentur esse. Enimuero his cognitis est opus, alioqui nescietur quod discrimen sit inter Essentiam diuinam, & ipsius hypostaticas differentias, quæ qui videt & contemnit, & pro Sophisticis habet argutijs, is nunquàm ea quæ ad Mysterij huius explicationem pertinent, assequetur. Quàm ineptus quæso & ridiculus ille erit, qui cùm velit & cupiat scire, quomodo & qua ratione Linea attingat Circulum in puncto, & interim demonstrationem huius propositi, quæ est apud Euclidem, audire recuset? Obscura certè hæc, & difficilia ad intelligendum, hanc Analysin requirunt, quam sine Philosophiæ exquisitioris notitia haud facilè quis, imò omnino non assequetur. Deinde alius est modus, quo Vnum essentia, dicimus esse Multa, vt si partes sint (partes appello, vnius Substantiæ δυνάμεις, i. facultates) quarum vna non possit prædicari de alia, quas non tam τῷ λόγῳ, i. ratione, quàm τῷ εἶναι, i. definitionis ratione differre solemus dicere: realem, hanc differentiam appellant Scolastici. Quo sanè modo & Accidentia etiam à Subiecto, & ipsa etiam Accidentia inter se discrepant. In Essentia, & Substantia quoq;, realiter, seu τῷ εἶναι, i. definitionis ratione differunt partes: de quibus partibus Totius appellatio & nomen secundum

Secundus modus, quo vnum Essentia dicitur esse multa.

Quid sit, τῷ εἶναι, seu Realiter differre.

prius, & posterius, prædicatur. Vt verbi gratia, Vna est Animæ hominis essentia, adeoq; vox Animæ non tam de tota, quàm de partibus prædicatur, sed quodam ordine, vt primùm de logica, deinde de sentiente, postremò de vegetatrice. De sentiente autem, Logica seu Ratiocinatrix non prædicatur, nec de Vegetatrice prædicatur aut de Logica sentiens. Differunt itaq; inter se δυνάμεις, id est, facultates, & partes illæ Animæ, τῷ εἶναι, id est definitionis ratione. Sua enim cuiq; est definitio, quæ τῷ εἶναι, i. definitionis ratione, vocabulo significatur, vt ea tamen non sit pars alterius definitionis, quemadmodũ in his vsu venit, quæ duntaxat τῷ λόγῳ, i. ratione discrepant, vt paulò antè est dictum. Hanc igitur (vt dixi) realem appellant differentiam, quæ diuersa est ab hac, qua secundum Essentiam, seu qua Numero differunt essentialiter inter se tres. In Essentia enim ad Numerum vna, multa inesse possunt, quæ τῷ εἶναι, i. ratione definitionis seu realiter differunt, vt Accidentia in Subiecto vno, aut δυνάμεις, i. facultates complures in Anima vna, quas non οὐσίᾳ, i. Essentia discretas, sed τῷ εἶναι, i. ratione definitionis, καὶ τῷ λόγῳ, i. ratione differentes esse quiuis etiam mediocriter eruditus intelligit. Itaq; δυνάμεις, i. facultates Animæ, ab Animæ totius essentia, duntaxat τῷ λόγῳ, i. ratione, ipsæ verò inter se δυνάμεις, i. facultates, non solùm τῷ λόγῳ, i. ratione, sed etiam τῷ εἶναι, i. formaliter, & realiter differunt. Cognoscendi igitur ante omnia modi, quibus nimirum dicitur, vnum ab alio differre. Sed aduersarij nulla horum modorum ratione habita, omnia, ab omnibus, non putant nisi essentialiter (vt sic loquar) differre. Nec posse vnam

Quodnā sit discrimen inter differre Formaliter, & Realiter. τῷ λόγῳ, καὶ τῷ εἶναι.

esse censent essentiam partiũ, partim formaliter, partim realiter discrepantium, qua in re exquirenda, certè aduersarij multò sunt inferiores Patrib⁹, & Doctoribus scolasticis, de quibus admodum, pro suo stomacho, loquuntur contemptim, de semetipsis magnificè & arroganter, vt Sophistę solent, sentiunt tamen. Nec ista finguntur à nobis inaniter, & sophisticè, quũ manifesta sint in ipsa rerum natura quæ dicimus, &

Rom. 1

D. Paulus ipse testetur, à visibilibus huius mundi Philosophos peruenisse ad cognitionem veri, & inuisibilis Dei, minimè repręhendens ipsorũ studium. Quòd si hæc aliena sunt, & reipsa, non verbis, & oratione à sensu sacrarum literarum discrepant, prius refellant falsitatem hanc verioribus rationibus, quàm tanquã Sophistica & futilia damnent & irrideãt propter ruditatem non intellecta. Atqui omnes hi, qui has res conantur inerudité explicare, nulla distinctione adhibita, nullisq́ rationibus (vt ipsi vocant odiosè) Scolasticis vsi, quid aliud faciunt quæso, quàm vt nihil dicant, vt dent sine mente sonum, vt Poëta alicubi dicit: nullisq́ argumentis quod volunt probent, aut aduersarios refellant, quos ipsi erroris coarguunt: Et profecto nihil aliud sunt illi disputatores, quàm ęs quasi tinniens, quorum disputationis euanescente sono, nulla rei notitia animis impressa relinquitur, aut certè falsa, siquidem falsum aliquid Esse potest dici.

Non satis est ridere argumenta, alioqui quiuis agrestissimus rusticus, & scurra, optimus esset disputator.

Sed denuo ad nostrum propositum redeamus. Quia verò hi modi omnes commemoratarum partitionum, seu distinctionũ (quibus Vnum Essentia, potest dici esse modo quodam alio Multa) conspicui sunt in Anima humana, eiusdem exemplo adumbrabimus etiã

Animæ similitudine declaratur, quo pacto VNVM essentia, possit esse MVLTA.

Vnitatem

Vnitatem eſſentiæ, & multitudinem hypoſtaſeon, ſeu perſonarum in diuinis, qua ſimilitudine melius informabitur Orthodoxa fides, vt opinor, & minus etiam capietur erroribus (quæ nihil intelligit ſine ſimilibus) mens noſtra. Animam igitur noſtram, id eſt, cuiusq́ hominis Animam, vnam eſſentia eſſe oſtendit Ariſtoteles in 1. libro de Anima, circa finem. Eadem, quamuis vna ſit numero, & eſſentia, multa nihilominus eſt, τῷ εἴδει, i. ratione definitionis, & realiter, id eſt, tres eius ſunt res, ſeu tres δυνάμεις, i. facultates, quarum vna (tanquam Genus, de ſpecie) non poſſit prædicari de alia. Nam vegetatrix à ſentiente, & ambæ, ab intelligente, quantum & quemadmodũ diſcrepent, nemo non videt. Animæ iſtius οὐσίαν, i. Eſſentiã definiendo ſic licet exprimere, vt ſit actus, ſeu Entelechia, ſeu Eſſentia vna ad numerũ, qua homo viuit, qua ſentit, qua intelligit. Prædicatur aũt nihilominus totius eſſentiæ vocabulum, id eſt, Anima de partibus, ſed non eodem modo quo de tota, nempe ſimpliciter de tota, ſed de partibus ſeu facultatibus, ſecundũ prius, & poſterius. Singulæ autem partes differunt inter ſe τῷ εἴδει, i. ratione definitionis, ſeu realiter, vt dictum eſt, ſed differunt partes à tota, duntaxat τῷ λόγῳ, i. ratione, & non τῷ εἴδει, i. ratione definitionis, id eſt, formaliter tantùm, & non etiam realiter. Libet enim mihi eruditis quibuſdam & è ſcola petitis vti vocabulis, tametſi parùm Latinè dici videantur, & vſitatè, quoniam in ſcolis hæc diſcuntur, & docentur, nõ in foro, agro, aut in militia & caſtris. Itaq; vocabulum Animæ de partibus ſeu facultatibus ipſius non prædicabitur, neque vt Genus, neq; vt Species, id eſt, vniuocè nõ prædicabitur,

Plato, Exẽpla appella ὁμήρους τῶν λόγων, quaſi rationum propoſitarum vades.

Duobus modis vſurpatur vocabulum Animæ,

Quid ſit prædicari ſecundum prius, & poſterius.

dicabitur, ſed ſecundũ prius, & poſterius, quod genus vocabulorũ Græci Philoſophi appellant κατὰ τὸ πρότερον, καὶ ὕστερον, i. ſecundũ prius et poſterius ſignificãtia aliquid.

Probatur quod Anima reſpectu partium ſuarum non poſsit prædicari vt Genus.

Etenim ſi Anima diuidatur tanquam Genus hoc modo in ſpecies, vt nimirũ quædã ſit λογική, i. rationalis, ſeu ratiocinatrix, & quædã ἄλογος, i. irrationalis, ſeu intelligentia carens. Deinde ἄλογος, i. irrationalis iterũ diuidatur, in ſentientẽ, & vegetantem. Hac diuiſione perfecta, ſubſequentur numero differentes complures Animæ. Prædicantur enim Genera, & Species de multis numero, & eſſentia differentibus, qua ratione vna numero & eſſentia Anima, eſſe nequaquam poterit particeps omniũ, ſi quatenus Genus, Anima de partibus his, & facultatibus prædicaretur. Ex quo perſpicitur, Animam hominis, quoad non tantum vna ſit, Eſſentia, ſed etiam Multa quædam, τῷ εἶναι, i. ratione difinitionis, & realiter, non eſſe, aut poſſe dici vnam Genere, aut ſpecie, ſed eo modo, quo dictum

Quamobrem ea quæ prædicantur ſecundum prius, & poſterius, non poſsint habere rationem Generis.

eſt, Vnam, vt nimirum prædicetur de multis realiter differentibus facultatibus ſecundum prius, & poſterius. Princeps enim eſt ratiocinatrix vis continens in ſe ſentientem, & vegetatricem, poſtea ſentiens, poſtremò vegetatrix. Vna igitur ad numerum Anima, & eſſentia vna, partes habet vt Totum quoddam incorporeum, nempe δυνάμεις, i. facultates realiter inter ſe diſcrepãntes, & eaſdem à Totius eſſentia formaliter, ſeu τῷ λόγῳ, i. ratione duntaxat differentes, quarũ omniũ ratione, vt maximè ſit vna eſſentia, partibus his tamen ſeu δυνάμεσι, i. facultatibus multa dicitur eſſe, nõ tamen multa per eſſentiam, ſed his modis iam ſæpe à me cõmemoratis, multitudinis eſt particeps. Interim

Anima eſt Vna per Eſſentiam, & tamen τῷ εἶναι, ſeu rebus conſtituentibus vnam eſſentiam, eſt multa.

tamen

tamen Anima nõ est quicquàm aliud, quàm suæ partes, & δυνάμεις omnes, quàm vna quædam & simplex essentia, vt in ipsa Essentia tanquàm subiecto, & materia quadam nequaquã insint δυνάμεις illæ, propterea quòd Anima, & ESSE Animæ, omnino, propter simplicitatem, sunt idem. Proinde perfectionis est, sic vnam esse Animæ essentiam. Perfectissima etenim est Anima, quæ vna existens essentia, potest omnes vitas complecti & pręstare. Pertinet etiam ad perfectionem partium, seu facultatum, vt participent mutuis perfectionibus, vt ratiocinatrix participans sentiente, & vegetatrice, nec non sentiens participans ratiocinatrice, & vegetatrice, idem sentiendum de vegetatrice, coniuncta cum sentiente, & intelligente. Nihil ergo quoad solitarium, sed quoad totum, est perfectissimum, & partes etiam quia toto participãt, perfectionem suam habent summam. Nec aliud incorporeum Totum est, quàm ipsæ simul omnes partes, nec aliud sunt partes, quàm vnum aliquid Totius essentia, inter se, & à toto, ijs quibus dictum est modis, discrepantes. Nec ratio tamen vna est perfectionis Totius, & partium, cùm Totum vnitate essentiæ sit simpliciter perfectum, Partes autem, quadam Relatione, & quia huius totius sunt partes, & quia ipsæ inter se suas quasdam perfectiones communicãt. Quo loco considerandum discrimen inter partes corporeas, & incorporeas. Siquidem Totum corporeum Essentiale, seu ὀντῶδες, i. Essentiale respectu suarum partium sic est comparatũ, vt Totius essentia sit quiddam aliud quàm partes ipsæ. Præterea corporeum Totum, & esse Totius, non omnino sunt idem. At

Quare partes Animæ non sint in Anima tanquam subiecto quodam,

Perfectionis est, Vnã essentia, esse, nihilominus multa.

Quid sit TOTVM incorporeum,

Non est vna ratio perfectionis, TOTIVS & PARTIVM,

Discrimen inter Totum Incorporeum, & Corporeum,

Quomodo TOTVM corporeum differat a suis partibus.

paulò antè diximus in rebus incorporeis, quoad Vnũ & Totum dicãtur, Ipſum, & ipſius Eſſe, penitus idem eſſe. Homo, totum quid eſt per eſſentiam, concreta ſubſtantia ex materia, & forma, quæ forma, eſt Anima hominis, corpus autem, materia eſt. Manifeſtum eſt ex Philoſophia, Eſſe hominis, differre ab ipſo homine. Nam idem non ſunt Anima, quæ eſt, Eſſe hominis, & homo, qui in ſe, vt σύνολον, ſeu totum integrale, continet etiam aliquid (nempe materiam) qua poſſit non eſſe. Sed Anima, & Eſſe animæ, penitus ſunt idem. Quare alterius modi partes etiam erunt hominis concreti ex materia, & forma, & alterius modi, Animæ partes. Partes totius Hominis, vt σωόλου (quod Integrale Totum ſcolæ appellant) poſteriores ſunt non tantùm λόγῳ, i. ratione ſed etiam οὐσίᾳ, i. Eſſentia totius eſſentia. Quoniam eſſentiam ſuam habent ab Eſſentia totius, vt caput, brachium, non poſſunt eſſe, niſi ratione qua ſunt partes hominis σωόλου, i. totius integralis. Amputatæ enim, vt eſſentia Totius non participant, ita partes quoq; eſſe, & dici deſinunt. Caput enim amputatum, non eſt caput, ſed æquiuocè caput eſſe dicitur. Eſſentia autem corporei Totius, non eſt nihil aliud quàm partes integrales omnes, ſed prius quiddam οὐσίᾳ, i. Eſſentia eſt partibus illis, nempe compoſitum ex partibus Eſſentiæ, quæ ſunt materia, & forma hominis. Quo ſanè fit etiam, vt Totius vocabulum de partibus huiuſmodi, ſecundum prius & poſterius non prædicetur, quandoquidem Totum illud, ratione Eſſentiæ ſit aliud quiddam, quàm partes ſuæ. At partes Animæ (quæ eſt totum incorporeum) nihil ſunt aliud, quàm Eſſentia animæ, & Animæ eſſentia,

Quodnam diſcrimen ſit inter partes Eſſentiales, & Integrales.

ſentia, nihil aliud, quàm partes, & δυνάμεις ſuæ omnes exiſtit. Imperiti iſtarũ rerum arbitrantur aliã eſſentiã Animæ, & aliam eſſentiã eſſe eius partiũ, vt alia eſſentia eſt hominis, & alia eſſentia capitis hominis, in quibus ſanè plurimũ falluntur propter ineruditionem & inſcitiã Philoſophię, Cùm tota eſſentia incorporea nõ ſit aliquid aliud eſſentia ſua differens à partibus, ſed totum Corporeũ ſit aliquid eſſentia ſua differens ab eſſentia partiũ, quod ipſum iã exemplis declarauimus. Accuratior enim horũ explicatio eſt in Philoſophia, quã hoc tempore & loco nõ poſſumus vniuerſam docere, attigiſſe enim hęc, & quaſi delibaſſe in pręſentia ſatis eſt. Liquet ergo perfectionis vocabulũ in Incorporeis, alia ratione ad Totũ, & alia ad partes pertinere. Et Totũ Eſſentia ſua, nihil aliud eſſe, quàm omnes ſuas partes, quo intelligimus etiã Totum Incorporeũ εἶδος, & ESSE Totius, penitus vnum & idem eſſe. Transferã hęc ab vmbris ad lucem ipſam, à creaturis, ad Creatorem, ab effectis, tanquã Iconibus, ad Principium, quod eſt paradigma, cùm in rebus etiam creatis diuinitatis quoddam veſtigium appareat. Deum itaq; (perinde vt Animam) dicimus Eſſentia, & numero quiddam eſſe vnum, partibus autem, tanquàm δυνάμεσι, id eſt facultatibus quibuſdam hypoſtaticis, eſſe Trinum. Illas tres Res, Perſonas appellant Patres. Scriptura, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, neq; Res, neq; Perſonas ſcolaſticè nominat. Nos, δυνάμεις, has tres differentias appellamus, cùm D. Paulus etiam eas hoc modo deſcripſerit, vt intelligamus non eſſe otioſas quaſdã Relationes, ſed efficaces, vt à qua, per quã, & in qua, efficacia, & virtute diuina ſint omnia. Plato quoq; has diuinitatis Hypoſtaſes nominat

Similitudinis Animæ ad Eſſentiam diuinam applicatio.

Rom. 11.

Paulus Diuinitatem definit tribus potentiis.

δυνάμεις

ssis seu δυνάμεσι, quas Theologi appellant personas.

δυνάμεις, i. facultates, sic scribens in Philebo. In Iouis natura ingenerantur, Regia anima, & Regia mens, διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν, i. propter causæ facultatem. Omnium enim est principiũ DEVS VNVS, sed per has in ipso δυνάμεις, i. facultates hypostaticas omnia creat, conseruat, & continet. Vt Anima cùm sit Vna, essentia, tamen per suas potentias, seu δυνάμεις, in corpore omnes vitæ energias exercet. Potentias illas, Animæ partes appellat Aristoteles, & hoc modo si quis etiã hypostaticas δυνάμεις, i. facultates diuinitatis appellarit partes Vnius seu Totius essentiæ Dei, significantius haud loquetur, quàm si tres quasdam Res esse dicat.

Quodnam discrimen sit inter TOTVM Incorporeum, & corporeum.

De toto (quod est ὅλως ὅλον, i. ex toto totum) loquimur, & de partibus, ratione essentiæ vnius, neque inter se, neq; à toto, separabilibus. Incorporeum enim omne, quicquid est, & vbicunq; est, totum est & perfectum: multò magis Deus, qui est principium, & finis omnium, & perfectio ipsa, & Essentia sua, & partibus tribus (si fas est hypostases appellare partes) ita perfectum quiddam erit, imò summa perfectio. Quas partes tamen Totius diuinitatis non nisi differentijs hypostaticis intelligi volo, ne quis dictum impiè illud existimet. Nam partis vocabulo semper ferè imperfectum quiddam intelligitur, & separabile à toto, quo factum est vt eo abstinuerint S. Trinitatis interpretes, & Res potius tres, seu hypostases appellarint, quàm partes. Nos si ita videbitur, tres interdum δυνάμεις i. facultates appellabimus, aut tres differentias hypostaticas, aut Personales, aut originis differentias, & Dei Essentiã, potius Vnam, quàm Totam appellabimus, ne quem vocabulorum insuetus vsus offendat.

Quare Vocabulis Totius, & partis, in explicando Trinitatis mysterio, abstinuerint Patres.

DEVS

DEVS igitur, ſimpliciter vna eſt Eſſentia, quia principium omnium, & omnis multitudinis origo: quia non niſi vnum poteſt eſſe principium: & perfectum illud cùm ſit omnibus modis, tribus etiã ἰδιώμασι, ſeu hypoſtaticis differentijs diſtinctum eſſe oportet.

Quamobrem Deus ſit Vnus Numero & eſſentia.

Et hac ratione intelligitur à nobis Deus, vt ſit Eſſentia vna immenſa, à qua, per quam, & in qua ſint omnia.

DEVS Quid ſit? Rom. 11.

In Deo igitur tãquàm Materia, aut ſubiecto quodam, nequaquàm inſunt tria hæc, ſed Deus Vnus ipſe, eſt tria hæc, nempe, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quemadmodum vna Anima, ipſum eſt, quod intelligit, quod ſentit, quod vegetat, vt ſuprà diximus.

Quomodo Deus Vnus Eſſentia definitur hypoſtaticis differentijs.

Deinde hypoſtaticæ differentiæ differunt à Diuina eſſentia τῷ λόγῳ, i. ratione ſeu formaliter. Sed ipſæ inter ſe hypoſtaſes differunt inter ſe, τῷ εἶναι, i. ratione definitionis, ſeu realiter, non eſſentialiter, quorum omnium ratio liquet è ſuperius dictis.

Hypoſtaticas differentias differre inter ſe τῷ εἶναι, ſeu Realiter, ſed eaſdem differre à Toto, τῷ λόγῳ, ſeu formaliter.

Præterea vocabulum Dei dicitur de Deo ſimpliciter, quatenus Vnus eſt Eſſentia, & Trinus hypoſtaſibus, ſeu ſubſiſtentijs. Prædicatur id ipſum etiam vocabulum Dei de ſingulis hypoſtaſibus, ſed ſecundum prius, & poſterius originis. Nam prior origine Deus, Pater eſt, poſtea, Deus Filius, vt genitus, deinde Spiritus ſanctus Deus, vt ab vtroq; procedens.

Vocabulum Dei prædicari dupliciter.

Et perfectum Deum Patrem dicimus, quia propagat de ſe filium, & cum Filio, Spiritum ſanctum. Filium quoq; perfectũ, quia naſcitur à perfecto, ſimulq; cum ipſo Patre propagãs Spiritum ſanctum. Sed ſpiritum ſanctum perfectum dicimus Deum, quia procedit à Patre, & Filio. Alioqui ſi non ſecundum prius, & poſterius, ſeu Relatè prædicaretur Deus de Tribus ſigillatim, verùm ſim-

pliciter, tum ſequeretur (quod Aduerſarij tanquàm abſurdum orthodoxis Catholicis opponũt,) vt Deus Pater, ſimul eſſet Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, Illud enim ipſum eſt, quod ſimpliciter Deus dicitur. Hanc Deitatis ſecundum prius & poſterius, prædicationem, ſubſequitur etiam prædicatio eorum, quibus propriè intelligitur Diuinitas, vt Omnipotẽtem eſſe, Bonum eſſe, Sapientem, Immenſum eſſe, quæ ſanè æqualiter, ſed non omnino ſimiliter (niſi quoad εἰκὼν, i. effigies ſimilis eſt παραδείγματι, i. exemplari, & non quoad ὁμοειδὴς, i. ſpecie idem, ſimile eſt ὁμοειδεῖ, i. eidem ſpecie) tribus his aſcribuntur. Quanta enim bonitas eſt Patris, tanta etiã Filij, & tanta Spiritus ſancti, ſed nõ talis eſt Filij bonitas, qualis Patris, cùm Patris ſit ingenita, Filij genita, Spiritus ſancti bonitas procedẽs. Quod ipſum nihil aliud eſt, quàm ſecundum prius & poſterius originis has prædicari proprietates, æquabiliter tamen de tribus perſonis. Quæ quidem omnia pertinent, tum ad naturæ diuinæ, tum ſingularum etiam perſonarum perfectionem, quę non poſſet eſſe, ſi aut ſolus Pater eſſet Deus, aut ſolus Filius, aut ſolus Spiritus ſanctus, aut ſi non vnus eſſent, ſed eſſentijs differentes Dij, aut ſi vnus eſſet, ſine differentijs tamen hypoſtaticis Deus, cuius rationem paulò pòſt ſumus dicturi. Vocabulum itaq; Dei (in quo iſti hallucinantur) non vniuocè vſurpatur, quando nimirum ſimpliciter de vna Dei eſſentia dicitur, (quam nihil aliud eſſe liquet, quàm ipſum ſimul Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, vt antea fuit dictum,) & cùm hæc ipſa vox alia ſignificatione enunciatur ordine originis de tribus ſigillatim perſonis. Nam ſi vno-

Perſonæ quomodo ſecundum attributa diuinitatis non ſint omnino idem.

Quæ ſit, quæ pertineant ad perfectionem diuinitatis.

Hoc genus Vocabulorum, ſi multa ſignificat, aut ſi ſeparatim prædicatur de multis, non æquiuocè prædicatur, neque etiam vniuocè, ſed ſecundum prius, & poſterius. Huiuſmodi vocabulum eſſe quoque Animã, oſtendit Ariſto. lib. 1. de Anima.

vno eodemq́ modo vſurparetur, & non niſi abſolutè tantùm Deus de aliquo diceretur, tum incideremus in illam Quaternitatem, ſeu τετράδα, quam abſurdè nobis exprobrant à nobis diſſentientes aduerſarij. Illud ſi placet, ſimilitudine quadam adumbrabimus. Animæ eſſentia eſt vna, & nihilominus potentijs triplex, quæ hypoſtaticè inſtar Trinitatis differrent etiam, ſi facultas intelligens propagaret de ſe facultatem ſentientem, & hæc, vegetatricem. Simpliciter Anima, ratione eſſentiæ, eſt vna, ſed nihilominus ſecundum prius, & poſterius dignitatis, prædicatur etiam Animæ vocabulum de ſingulis facultatibus, nec ob id quiſquàm dixerit hac ratione Quaternitatem Animarum, in homine poni. Nequit enim annumerari quod ſolitarium eſt perfectum, ei, quod cauſa alterius & relatè perfectum dicitur. Alioqui enim Diuinitas, ſeu Deus nõ eſſet ſimpliciter quiddam ſummeq́ perfectum, quum τῷ συναριθμεῖσθαι, i. eò quòd adnumeratur alicui, ſeu annumerando aliud quiddam ei, perfectius quidpiam ſcilicet ipſum, quàm ſolum ſi ſit, eſſe oporteat. Itaq; Deus (ſignificans ſimpliciter rem Eſſentia, vnam, ac tribus hypoſtaſibus perfectam) non annumerabitur alicui perfecto hypoſtatico, ſeu ratione hypoſtaſeos perfecto, quibus Hypoſtaſibus non abſolutè, ſed relatè ad aliud, perfectiones quædam Dei intelliguntur. Nam ſi ipſe etiam Pater Deus, ſimpliciter Deus, & non generans Deus eſſet, aut intelligeretur eſſe, tum perfectio ſumma (nempe ſimpliciter Deus, quæ definitur tribus hypoſtaſibus ſimul) maior (ſiquidem Pater abſolutè etiam eſſet Deus) addito Patre, ſimpliciter etiam Deo, eſſet, & hac ratione ſimpliciter

Non eſſe Quaternitatem.

Eſſentia diuina, ſeipſa intelligitur perfecta. Sed Patris perfectio, intelligitur reſpectu alterius. Ita quoque Filij, & Spiritus ſancti, cum ſint Relatæ perfectiones.

Cui adnumeratur aliquid ſub eadem ratione, non eſt perfectiſsimum. Simpliciter Deo non annumerantur perſonæ, quum nihil aliud ſit Deus quam tres ſimul perſonæ, nec ſigillatim annumerantur, cum non ſit eiuſdem rationis Eſſe, Eſſentiæ, & Eſſe, perſonæ.

Probatur quod aliud ſit Simpliciter Deus, & aliud, Pater Deus.

citer Deus, non summa seipsa perfectio esset, quod dictu quidem est longè absurdissimum. Non ergo annumerari debet simpliciter Deus, (qui est vnus Essentia & Personis trinus) neq; Deo Patri, neq; Deo Filio, neq; etiã Deo Spiritui sancto, tanquàm quartum aliquid: quorum perfectio separatim intelligitur relatè, non simpliciter & absolutè, prout essentia vna Dei Trini intelligitur perfecta absolutè tribus hypostasibus, quæ nihil aliud est, quàm simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus. At uerò aduersarij nostri illũ vnum simpliciter Deum, non Deum Trinum, sed Deum Patrem esse dicunt, à quo sint essentia discrepantes Filius, & Spiritus sanctus, qui tamen & ipsi singuli participent Natura Diuina: ille, quia genitus à Deo Patre, hic quia procedẽs ab vtroq;. Hoc loco videmus, quàm falsitas ipsa seipsam implicet, & ipsa sibi mentiatur iniquitas, qua illi tanquàm Gigantomachia quadam Iouem conantur è cœlo pellere. Siquidem igitur vnus & solus Pater, Deus per se est, & absolutè simpliciterq; Deus, & Natura scilicet & essentia ipsius Diuina incommunicabilis eò erit (prout illorum fert sententia) quoniam hac ipsa Vnus, & solus & seipso Deus Pater dicitur esse. Nam quod communicabile est, non solum est, & seipso est, sed cum alio est. Quòd si Deus seipso, & eò est incommunicabilis (quoniã Vnus, & Solus est Pater) sequitur, Filium, & Spiritum sanctum, non participes esse vt Patris, ita quoq; Diuinitatis, cùm sit communicabile quod dicitur participari, qua ratione etiam neq; sit vnus, neq; simpliciter Deus, id quod participando diuinitatem non sit Deus, sed duntaxat quiddam diuinum

Aduersarij dicunt, Deum Simpliciter, duntaxat dici Patrẽ, propter prærogatiuã ἀγεννησίας.

Argumenta quibus ostenditur, Deum simpliciter de Tota Trinitate prædicari, de hypostasibus singulis non prædicari simpliciter.

uinum. Quod si Filius, & Spiritus sanctus, eo modo quo Pater est Deus, non sunt Deus ἁπλῶς, erunt ergo quædam coæternæ creaturæ, (quia non Deus sunt) aut principia quædam coæterna, eodem nimirum modo, quo Aristoteles dixit, Principia Naturæ, seu Naturalia, coæterna esse Deo. Vnus enim Pater, quum sit essentia Deus incommunicabili, sequitur, vt alia quadam essentia, quàm Patris (qua tamen solus Pater Deus esse dicitur) sit Filius, & Spiritus sanctus, Deus. At Deus extra essentiam patris (cum sit solus Deus) dici nequit, quare nec Filius, nec Spiritus sanctus sunt Deus. At ne Turcæ quidem tam sunt impij, qui cùm Deum vnum dicunt æternum, nihil extra essentiam eius coæternum tamen ei esse statuunt, nedum plures Deos, coæternos putēt. Noui autem isti Christiani, duo quædam quæ non sint Deus vnus ille Essentia (quum Vnus tantùm, & solus Deus sit Pater, id est, simpliciter Deus,) coæterna Deo seu Patri esse sentiunt. Quare iam non est vt multitudinem Deorum introduci hac secta metuamus, nō est quòd pertimescamus tres Deos nobis obtrudi ab his qui vnum Deum, & solum Patrem dicunt, quoniam vt Filius, & Spiritus sanctus sunt extra essentiam Patris, ita quoq; extra diuinitatem eius erunt, quæ, vt isti dicunt, vna ad numerum est vnius Patris essentia diuina. Veruntamen non satis impiè se mentitos existimant, nisi huic contrarium errorem etiam assuant, & vanitatem vnam alia vanitate accumulent. Nihilominus autem his positis, dicunt, Filium esse quoque Deum Verum, à Deo Patre genitum, & eiusdem speciei substantiæ, seu similis Essentiæ. Item Spiritum

Οὐσίαν, quæ est τόδε τι, esse ἀμέθεκτον quiddam ꝓbat Aristoteles in Metaphysicis.

Inconstantia aduersariorum notatur.

 sanctum,

ſanctum, Deum verum procedentem, eiuſdem naturæ, & omnes eiuſdem Diuinitatis, Omnipotentiæ, Gloriæ, Maieſtatis, non quia ſint vnus Eſſentia Deus, ſed quia ſint vnum quadam ſimilitudine, & non quia ſint Vnum numero & eſſentia. Differre autem inter ſe eò quia Pater à ſe ſit, Filius aũt iſta omnia ſit propter generationem, & Spiritus ſanctus propter proceſsionem. Sic enim ſcribunt illi, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus rectè dicuntur, & ſunt Vnus Deus, (quod tamen quidam ex his non confitentur, ſed duntaxat ſaniores) non perſona, ſed indifferenti natura, id eſt, non numero Vnus, nec indiuiduè, ſed ſimilitudine, æqualitateq́ naturæ. Ita ex his qui ſaniores videri volunt quidam ſcripſerunt, vt quaſi conciliatores, & medios inter Catholicos, & Hæreticos ſeſe interponerent. Nos porrò quæramus, quonam pacto Filio extra eſſentiam Patris exiſtenti, id eſt, non eandem numero cum Patre eſſentiam Diuinitatis habenti, Diuinitas, quę vna, & ſolius Patris dicitur, poſſit communicari aut conciliari? Generatione, inquiunt, nam quod Pater à ſe eſt, id ipſum Filius per generationem, vt ipſis videtur, eſt. Ex quo certè ſequitur, vt quemadmodum homo naſcitur ex homine, ita Deus naſcatur ex Deo: & vt gignens, & natus homo, ſua vterq́ eſſentia ſubſiſtit, ita quoq; generans, & genitus Deus, vterq́ ſua ſubſiſtat Eſſentia: & vt ſimilitudine Speciei (quæ eſt logica Vnitas Eſſentię) ſint ambo aliquid Vnum, Quomodo obſecro communicabilem dicunt & numero diuiduam diuinitatem, quam paulò antè vnam Numero, & Eſſentia duntaxat vnam in Patre eſſe dixerunt? Quòd ſi Specie & ſimilitudine

Filio, & Spiritui ſancto, diuinitatem non poſſe communicari, niſi cum Patre ſint Vnum eſſentia.

ſimilitudine Logica quadam proprietatum Vna diuinitas ſit in tribus, ſequuntur duo abſurda, quorum vnum eſt, non vnam, & ſolam numero duntaxat Patris eſſe diuinitatem, quem Patrem tamen ipſi Vnũ, & Solum eſſe Deum cõfitentur. Alterum abſurdum. Nam quum ſint ſpecie Logica vnus Deus, tria hæc, ſequitur, tres numero etiam diuinas eſſe eſſentias (quum Species quælibet Logica diuidatur in καθέκαστα, & multas numero diuiſas οὐσίας,) & non vnum numero tantùm, & Deum ſingularem, Patrem eſſe, ſed etiã, vnum Deum Filium, & vnum Deum numero, Spiritum ſanctum, id eſt, multos numero, & non vnum ſolum Eſſentia, & numero Deum Patrem eſſe. Quid autem hoc aliud eſt, quàm ſimul Vnum, & multos numero atq; eſſentia Deos eſſe dicere, & fateri? Pugnãt hæc ipſa inter ſe etiam ἀντιφατικῶς, & non tantùm cum veritate Catholica diſſident. Quid enim leuius & inconſtantius, quàm dicere, Solum atq; Vnum Patrem ſua eſſentia, & ſeipſo eſſe Deum, id eſt, Vnum numero eſſe Patrem Deum, & poſtea dicere, Communicabilem eſſe Eſſentiam diuinitatis, & nihilominus tres numero ſtatuere Deos communicantes eadem eſſentiæ ſpecie, id eſt, ſimilitudine diuinitatis? Nam ſi ſpecie ſit vnus, ſequitur vt numero ſint plures, nulla prærogatiua exiſtente Patris, quum Species æqualiter participetur. Perſequitur ergo pœnas ab his contemptus ſui Philoſophia, dum ſine eruditione Philoſophica coguntur non modò rudiſsimè, ſed etiam impijſſimè & inconſtantiſſimè loqui de ſumma Trinitate. Deum non poſſe Vnum ſpecie dici, ſuprà demonſtrauimus. Ipſis autem non licet explicare modum, quo,

Non poſſe Logica Specie, & ſimilitudine Vnam diuinitatem eſſe Triũ.

Ruditas & inconſtantia aduerſariorum notatur.

Aduerſarij non poſſunt oſtendere modū quo participent eadem diuinitate, P. F. & S. S.

quo, Filius, cauſa generationis particeps ſit diuinitatis Patris, quum patria diuinitas (quia vna numero) ſit (vt ipſi ſentiunt) incommunicabilis, extra autem hanc Patris diuinitatem, non ſit numero alia diuinitas. Quæro igitur, quomodo naſci poſſit de Deo Patre, Deus Filius, Lumen de Lumine, Deus verus, de Deo vero, cùm Patri non ſit coeſſentialis, aut conſubſtantialis, nec Filius, nec Spiritus ſanctus? Etenim quòd homo Pater, generat hominem Filium, cauſa redditur, quia non ex ipſo, aut in ipſo gignente, ſed ex ſemine & materia gignentis, alius homo naſcitur. Impium eſt talem generationis cauſam affingere ſimpliciſſimo, & immutabili Deo, vt qui nec materiæ cauſa propagetur, nec quantitatis cauſa in partes diuiduus ſit, quemadmodum corporeæ creaturæ diuiduæ ſunt, in numero diſcrepantes ἰδίαις. Nam propter materiam & quantitatem, vna Specie Logica Eſſentia, ſub ſe multas numero differentes eſſentias complectitur, non eſſentiali tamen & vera, ſed Logica quadam vnitate, de qua diximus ſuprà. Has differentias, & rationes cùm nō intelligant aduerſarij, cœlum, vt dicitur, terræ miſcent, & non tantùm Orthodoxæ fidei, ſed ipſi etiam ſibi dicunt, & concludunt pugnantia, quibus contradicentibus falſitatem opinionis ipſorum nobis licet refellere præcipuè: nam non putant ſe refelli & confutari ſatis, niſi ipſi à ſeipſis diſſidere, atq; diſſona ſibi dicere ipſis demonſtrentur. Non igitur Vnus & ſolus ſimpliciter Deus eſt, Deus Pater, ſed Deus, & Vnus ingenitus Pater, Hypoſtaſis origine prior, non Eſſentia prior, aut poſterior alijs Hypoſtaſibus, cùm ſimpliciter vna ſit Trium Eſſentia.

Quamob-

Quamobrem ille vnus Essentia & simpliciter (qui definitur hypostasibus tribus) Deus, vnus simpliciter est, quo neq; prior origine alius, neq; posterior, quum omnino non sit quicquàm aliud essentialiter Vnus Deus ille, quàm hypostases illę tres, quemadmodum Anima hominis nihil aliud simpliciter est, quàm tres ipsius facultates quibus definitur, vt suprà fuit dictũ. Et Trinitas quidem hæc, Vna Essentia est Dei simpliciter, & à nobis dicit̃ Deus vnus, extra quẽ non est alius, cùm tamen extra Patrem, sit Filius Deus, & extra vtrumq;, non essentialiter, sed personaliter, & hypostaticè sit Spiritus sanctus. At dixerit forsan quispiam, si Essentia Dei nihil aliud sit, quàm tres personæ, & quælibet persona, sit hæc vna numero Essentia, aut potius non discrepans ab hac vna numero essentia, sequitur, vt Deus Pater, quemadmodum hac vna Essentia subsistit, ita quoq; sit non modò Pater, sed etiam sit Filius, & Spiritus sanctus, quod sanè perabsurdum dictu videtur. Perinde vt illud absurdum est, si quis Animam dicat nihil aliud ratione suę essentiæ esse, quàm Entelechiam intelligentem, Sentientem, & Mouentem, tum sequi videtur, vt si quis Intelligentem δυνάμιν, appellarit Animam, qua ratione Animam, eadem quoq; essentiam sentientem, & Vegetatricem dicat esse ipsam Intelligentem vim, quod perabsurdum tamen sit dictu, quum definitionibus δυνάμεις illæ differãt, & dissimiles admodum actiones, & Energias præstare soleant hæ δυνάμεις Animæ. Quocirca tametsi vna sit Essentia, & Animę, & trium δυνάμεων animæ, & intelligens facultas, non differat neq; ὕλῃ, neq; τῷ εἶδ, à tota Anima, nihilominus tamen

Quid sit Deus Vnus simpliciter & solus. Esa. 43.

Filius, & Spiritus sanctus sunt extra Deum Patrem, non essentialiter, sed hypostaticè.

Obiecto cuiusdam absurdi soluitur.

Solutio Obiectionis, seu ἀπορίας.

differt τῷ λόγῳ, seu (vt scolastici loquuntur) formaliter à tota discrepat, quemadmodum superius est demonstratum, discrimina nimirum explicãtes, quibus Formaliter, item Realiter, & præterea etiam cùm dicimus Essentialiter res inter se discrepantes esse, quæ (ne sim longior) in præsentia nolo denuo repetere. Itaq; Hypostaticæ differentiæ, quamuis Essentialiter, & Realiter non differant ab vnitate totius Essentiæ, nihilominus ab ea differunt τῷ λόγῳ, quæ differentia si non esset, tum sequeretur quod aduersarij nobis exprobrant, vt Pater, essentiæ, scilicet causa, non solùm Pater, sed simul etiam Filius, & Spiritus sanctus esset. Eædem verò hypostaticæ differentiæ, licet non differant inter se Essentialiter, nihilominus discrepant inter se, non tantùm τῷ λόγῳ, id est, formaliter, sed etiam τῷ ὄντι, i. Realiter, quæ quomodo sint intelligenda, exemplo Animæ & facultatum ipsius planum antea fecimus. Hypostaticum itaq; seu personale Esse, est incõmunicabile ESSE. At diuinitatis, seu Essentiæ λόγος, i. ratio significat cõmunicabile quiddã, sed non vt Materia, seu vt subiectum, neq; vt Genus, aut vt species communicabilis est, sed vt vna numero Essentia, ratione perfectionis complures res & δυνάμεις dicitur esse. Itaq; Intelligens vis in nobis & δύναμις, i. facultas quatenus Intelligens, incommunicabilis est quidem, sed quia etiam est Anima, communicat sese inferioribus potentijs, & eas perfectione sua cõtinet, quamuis non producat eas causa originis, quum non sit simpliciter perfectio. Itaq; Pater, quia Pater, incõmunicabilis quidem est persona, sed qua Deus est, cõmunicat se alijs hypostasibus producendo eas causa

Quid differant Hypostaticum, & Essentiæ, Esse.

Quomodo communicabilis sit Essentia.

ſa perfectionis, Nam ſeipſo quidem Pater eſt, ſed vna cum alijs, Deus eſt, nulla diſcretione (niſi hypoſtatica) ab his productis diſtinctus. Nec differunt, Deum eſſe, & Patrem eſſe, eſſentialiter, ſed differunt duntaxat τῷ λόγῳ, & formaliter, quia ſcilicet vnius ratio, nempe Dei, & eſſentiæ eſt communicabilis, alterius autem ratio, vt Paternitatis, incommunicabilis eſt. At nihilominus, τῷ ὄντι, id eſt, Realiter, ſunt idem, Deus, & Paternitas, quum prædicetur ESSE Diuinitatis de omnibus æqualiter quidem (vt de Patre, quòd ſit Eſſentia, ſeu Diuinitas generans, & de Filio, quòd ſit Diuinitas genita non eſſentialiter, ſed duntaxat hypoſtaticè diſtincta Eſſentia) ſed non omnino ſimiliter (vt aliàs oſtendimus) quemadmodum Bonitatis etiam, Sapientiæ, Omnipotentiæ, ac ſimiliũ ESSE. Proinde omnia perfecta (autore Ariſtotele) ternario conſtant. Et cum tria quoq; ſint τῆς οὐσίας in phyſicis ſignificata perfectę naturalis ſubſtantię, quæ eſt τόδε τι, communicabilis quidem ipſius propter ἀοριστίαν eſt Materia, ſed incommunicabilis Forma quodãmodo τόδε τι exiſtens. In his etiam quæ intelliguntur definitione, Species ἄτομος (vt νοητόν) incommunicabilis eſt, Genus autem communicabile. Quin etiam in rebus ſecretis à materia, & habentibus ſimplicem eſſentiam ſine materiæ concretione, qualis eſt Anima & Angelus, idem, atq; eodem modo res ſe habere perſpicitur. Perfecta Anima communem habet Eſſentiam reſpectu omnium ſuarum facultatum, quarum prima Intelligens, continet in ſua Eſſentia, ſentientem, ſentiens, vegetatricem. Ita quoq; in Angelis cõmunior natura (habens rationem generis) exprimitur

Quid interſit inter Deum eſſe, & Patrem eſſe.

Omne perfectum TRINVM.

In Eſſentijs quoque naturalibus, & creatis, aliquid communicabile eſt, & aliquid incommunicabile.

tur vocabulo generis, quod Genus quidam appellāt, Essentiam, sed incommunicabilis differentia, ESSE Angeli appellatur à quibusdam Philosophis. Vt ergo à perfectione, ita quoq; à Diuinitate, non abhorrent communicatio vnius Essentiæ, & differentiæ hypostaticæ multitudo. Nam Deus, neq; intra, neq; extra se, (instar Cyclopum) ἀκοινώνητος est, cùm summæ bonitatis sit proprium sese sub ratione possibili communicare. Primaria tamē (ratione originis) possessio communicabilis Essentiæ Diuinæ, penes Patrem est, qui est fons & origo omnium, à quo Paternitas omnis, quæ in cœlo, & quæ in terra est, nominatur, habens prærogatiuā etiā hypostaticā, quatenus scilicet ἀγγέννητος, i. ingenerabilis, quo nomine non tantū suā ἰδίαν PATRI debent Filius, & Spiritus sanctus, quam habent cōmunem & numero eandem cū Patre, sed etiā ESSE suum hypostaticum. Quippe ESSE Filij, est nasci à Patre, & ESSE Spiritus sancti, à Patre, Filioq; procedere est. Demonstrantur itaq; hæc omnia vera & consentanea non tantùm testimonijs sacrarum literarum, sed etiam ex Philosophia petitis rationibus certis Methodi, & demonstrationis, & quibusdam alijs adminiculis nostræ intelligentiæ famulantibus, sine quibus Mysteriū hoc (quòcunq; nos vertamus,) explicari, & intelligi, prout noster fert captus, nequit.

A perfectione non est alienum, esse Vnum Essentia, & esse differentijs quibusdam multa.

Summæ perfectionis proprium est, sese communicare.

Eph. 3.

Pater Essentiam suam communicat, sed Paternitatem, seu differentiam hypostaticam non communicat.

Restat iam, vt quomodo hypostaticum Esse Patris, à Filij, & Spiritus sancti hypostatico esse, differat, & quo pacto item Pater suam ἰδίαν communicet, Hypostaticum verò Esse non communicet, explicemus, in quo maximè apparebit quid sit, cùm Deus ESSENTIA

TIA Vnus, personis autem Trinus esse dicitur. Summa perfectio Diuinitatis non patitur solitudinem, sed intelligitur non tantùm quoad est perfecta ex sese, sed etiam quoad producit Patrio nomine aliud, atque aliud Esse hypostaticum. Quoniam in Natura rerum ipsa etiam nihil est seipso solo perfectum, vt nihil habeat commune cum alio, & vt extra se omnino sit otiosum & inefficax. Naturale enim est, imò vt Aristoteles dicit, φυσικώτατον extra se efficax esse, & producere quippiam. Hæc igitur perfectio haud aberit à perfectissimo creatore omnium, à quo tanquàm fonte manant omnes perfectionum riuuli, ipso omnibus modis in semetipso existente perenni, plenissimo, & perfectissimo. Sed quid est quod primò perficit omnia? Nonne Bonitas? cùm omnia quæ fiunt, item quæ faciunt aliquid, boni causa fiant, & faciant. Principium igitur, & finis omnium, est Bonitas, & hoc nomine complectitur omnia intra se Prima & ipsa Bonitas, vt hac non sit eminentius, aut superius principium. Ergo in Deo prima Hypostasis: Bonitas est Ingenita, sortita appellationem Patris, quam Philosophi Platonici cum Platone, appellant αὐτοαγαθὸν, id est, Ipsissimam Bonitatem. Character hic est, quo præsertim noscitur Pater, id est, propagator hypostaseων reliquarum in Diuinis. Ex sese perfecta & ἀγέννητος Bonitas, infœcunda & otiosa nequit esse, sed in actum secundum, & Energiam plenitudine sua exuberans, & quasi proferens sese intra se seu intra suam essentiam omnia quæ S V N T, id est, omnia ὄντα intelligit. Hoc modo prima Bonitatis energia, secundam producit energiam, quæ est primæ, tanquàm παραδείγματος,

Perfectionis est, non tantũ seipso, & solitarium subsistere, sed etiam producere quiddam sibi simile.

Pertinet ad perfectionem Trinitatis vt Vnum essentia, sit trinum hypostasibus.

Simplicissimum principium est.

τὸ αὐτοαγαθὸν, id est. Ipsum Bonum.

Prima hypostasis in Deo. est Ipsa bonitas, seu Ingenitũ bonum.

Quomodo Mens, seu Verbum, a Deo Patre producatur.

Heb. 1.

id eſt, exemplaria, εἰκὼν, i. effigies, ſeu ἀπαύγασμα, i. ſplendor, cuius exemplũ quoddam proponemus, quo melius, quod dicitur, queat intelligi. In Mente, & Anima, ſimilia quædam reperiuntur. Mens ſimpliciſſima in homine (quam Philoſophi appellant νοῦν ποιητικὸν) in Anima hominis procreat ſecundam Mentem, quæ non appellatur νοῦς, ſed διάνοια, ſeu λόγος, quo intelliguntur omnia quidem, ſed compoſitè, & quodam, ex vno in aliud quaſi diſcurſu, quum ſimpliciſſima mente, ſimpliciſſimè intelligantur omnia, vt nõ vnum prius, aliud poſterius intelligatur, ſed omnia ſimul. Philoſophi λόγον, i. mentem, ſeu διάνοιαν, i. intellectum, ratione Eſſentiæ propagari à ſimplici Mente (quæ ingrediatur & egrediatur corpus hominis, naſcente & moriente homine ipſo) inquiunt. Propagatur etiam εἰκὼν, id eſt, effigies animæ, ὑποστατικῶς, dum Anima ipſa per ſe indiuidua partibus Eſſentiæ ſuæ exiſtens, diuiduam partibus eſſentiam corporis, viuam, & animatam conſtituit. Vt nimirum omnis Vita, quæ in partibus corporis propter animationem conſpicitur, ab indiuidua partibus Anima promanet tanquàm principio quodam ſimpliciſſimo. Ita in Natura quoq;, primi actus quo pacto procedant in ſecundos actus, tanquàm in ἀπογεννήματα ſua, his exemplis cognoſcitur, vt opinor, ſatis ſuperq;. Bonitas igitur prima, fœcundiſsima energia, non ſe continet intra ſe, ſed profert ſe in ſecundã energiam, quæ dicitur νοεῖν, ſeu Intelligere. Hæc Energia ſecunda, quæ omnia ὄντα, id eſt, Entia veriſſimè exiſtit, ſed tamen νοητὰ, i. intelligibilia propagati τοῦ λόγου, id eſt, Intellectus (Latini vocant Verbum) rationem & appellationem obtinet in ſcriptura, Eadem ſcriptura,

Exemplum quo intelligitur, quomodo Mẽs producat, ſecundam Mentem, in eadem eſſentia.

Aliud exemplum propagatæ hypoſtaſeos a prima exiſtente eadem Eſſentia, propagantis & propagati.

BONITATIS primæ, ſecundus actus eſt intelligere.

Io. 1.

ptura, nonnunquàm λόγον, id eſt verbum, interdum ſapientiam genitam, aliquando Filium Dei Patris nominat propagatũ illud, cuius teſtimonia nolo in præſentia recitare, quum res ipſa mihi ſit probabiliter pro noſtro captu demonſtranda. Producit itaq; Bonitas Diuina tanquàm primus actus, hunc ſecundum actum Mentis, & Intelligentiæ, tanquàm Ignis producit calorem, & vt Anima, vitales energias producit in corpore. Nihil enim eſt quod non ſe proferat in actum quendam ſecundum, vel ſubſtantialem, vel accidentalem. Vt in ſubſtantialem actum, quando (verbi gratia) dico ſimpliciſſimam ſuam οὐσίαν, id eſt ſubſtantiam Animam, animando corpus, omnes partes corporis animatas, tanquàm quendam εἰκόνα, i. effigiem ſui producere. Et ſimplicem Mentem (quam ποιητικὸν νοῦν, id eſt, efficientem intellectum, appellant) producere in Anima humana ſui quaſi effigiem quandam, quæ appellatur λόγος, id eſt, ratio, ſeu διάνοια, i. intellectus. Accidentium porrò ſecundi actus producuntur non in producentis ſubiecto, ſed in alio quodam, quod οὐσία, i. Eſſentia differat à producente. Vt ignis, quando calorem producit in aqua, vel ligno. Illa enim omnia nõ in ſeipſis, ſed ἐπιθιγγάνειν, id eſt, attingendo aliud quiddam ſuos producunt actus ſecundos, in alio ſcilicet quod ab ipſis ſcilicet producentibus οὐσία, id eſt, Eſſentia differat. Alia producunt ſecundos actus, non vt accidentia tamen, at neq; producũt ſeparatas quaſdã οὐσίας, i. eſſentias, ſed hypoſtaticã quandã οὐσιώδη, i. eſſentialem differentiã, ſcilicet τῆς οὐσίας, i. ſubſtãtiæ, & Eſſentiæ primi actus quaſi ſecundum actum producunt. Vt διάνοια, id eſt, ratio ſeu παθητικὸς νοῦς, id eſt, patiens intellectus.

Pro. 8. Matth. 16.

Nihil eſt quod non proferat ſe in Actum ſecundum, vel ſubſtantialem, vel Accidentalem.

Producentium aliud quædam differentias.

lectus, non differt οὐσίᾳ, id est, substantia à mente simplici nisi τῷ λόγῳ, id est, ratione, seu τῷ εἴδει, i. definitione, vt Aristoteles inquit, tanquàm linea scilicet recta, à seipsa inflexa, simplex scilicet à composito hominis Intellectu. Præterea, Animæ quoq; definitio duplex est. Vna, qua dicitur Entelechia esse, qua animal viuat, sentiat, moueatur, & intelligat. Altera, qua dicitur Entelechia corporis Physici organici, vitã habentis δυνάμει. Prior illa, posterior altera, sed nihilominus vna est οὐσία, i. Essentia Animæ, priore vi animæ propagante secundam: quasi Hypostasin, non tantũ ex sese, sed etiã in sese, id est, in οὐσίᾳ, i. Essentia sua, adminiculo tamen corporis. Veruntamen actus illi primi, & secundi hypostatici, differunt à Sanctæ Trinitatis producente, & producto actu, quia videlicet iam dicti actus, sunt οὐσίᾳ δυνάμει, id est, essentia facultate, sed hypostatici actus in Diuinis, sunt οὐσίᾳ ἐνεργείᾳ, id est, Essentia actu propter summam perfectionem, qua differunt à rebus creatis, quæ Diuinitatis sunt propria & peculiaria. Actum igitur primum differre à secundo, non per essentiam, seu essentialiter, sed τῷ εἴδει, id est, definitione, seu realiter, superius est dictum. Deinde liquet etiam, in Dei Essentia, actum secundum non esse Accidens, sed esse differentiam Essentialem, quam Scolæ appellant, hypostaticam. Ex quo sequitur, vt Energia secunda Bonitatis, seu αὐτοῦ ἀγαθοῦ, id est, Ipsius Boni (quod Patris habet nomen) quæ est INTELLIGERE, differat realiter à BONITATE IPSA producente, quæ primus est actus, & is quidem Pater, respectu actus secundi à se producti dicitur, qui est τὸ νοῦν, actus scilicet secundus &

Exemplum Actuum primorum, & secundorum, non nisi hypostaticis differentium.

Quid sit hypostatica differentia.

& productus à primò. Itaque INTELLIGERE illud, τοῦ ὄντος ἀγαθοῦ, id est, Ipsius Boni, non est accidens quoddam Diuinitatis, nec separata quædam Essentia, sed differentia quędam Essentiæ, discrepans τῷ εἶναι, id est, definitione ab IPSA BONITATE producente, ab Essentia autem differens, τῷ λόγῳ. Procedamus ergo nunc in Demonstratione generationis, seu productionis τοῦ λόγου, id est, Verbi, quem scriptura appellat, Filium Dei. Productum illud progenitum γέννημα, nempe τὸ νοεῖν, seu INTELLIGERE, alia quædam res à Patre est, vt calefacere, aliud quiddam est quàm calor ipse, sed calefacere, accidens est: at ipsum Intelligere Patris, nō est Accidens (non enim est mutabilis Deus) sed vt dictum est, οὐσίας, id est, Essentiæ Dei quædam existit differentia Hypostatica. Hoc loco opus nobis est summo quodam & eruditissimo Philosopho, qui intelligat in secretis à materia rebus idem & Vnum prorsus esse, INTELLIGERE ipsum, INTELLECTVM, & INTELLIGIBILE. Energia itaque hæc Patris secunda, Intellectus erit, ac simul etiam omnia ὄντα intelligibilia. INTELLECTVS hic productus, non est producens ipsum, Pater scilicet. D. Paulus εἰκόνα, id est, effigiem appellat, & ἀπαύγασμα, id est, splendorem luminis primi, lumen secundum, Energiæ scilicet energian. Cùm lumen autem nihil aliud sit quàm ENERGIA omnium visibilium, ita MENS genita, est ENERGIA omnium ὄντων, id est, Entium incorporeorum, & corporeorum, quæ est principium, & ante omnia, & per quod facta sunt omnia nempe λόγος Dei Patris. Et quamuis Mens illa primogenita emi-

Actus secundus primæ Bonitatis, non est accidens, neque Substantia, sed differentia Substantialis.

Producens, & productum, non sunt idem.

Filius, est Mens & Intellectus, productus a Deo Patre, quem scriptura appellat λόγον.

F nenter

nenter sit omnia ὄντα, tamen MENS illa non est Pater ipse, cùm productum non sit producens ipsum, nec lux sit lumen ipsum, quemadmodum nec producens, est ipsum productum. Mentem hanc genitam principium esse omnium ὄντων, visibilium & inuisibilium, quę sunt extra Deum, Plato etiam testatur, subinde Mentem illam appellans, θεῖον λόγον, id est, Diuinum Verbum, propterea quòd λόγος, i. Verbum dicitur Mens, à priore quodam & simpliciore principio nascens. Cuius respectu idem Plato, Patrem Deum, in Philebo appellat νοῦν γονέων, id est, Mentem generantem aliam mentem, quasi Mentem primam gignentem de se Mentem aliam, quæ respectu primæ Mentis, appellatur λόγος. Quare liquet quam ob causam Mens genita, λόγος, i. Verbū nominetur. Aristoteles, quamuis Naturam (quæ est rerum extra Deum principium) coæternam Deo (qui est apud ipsum, τὸ αὐτὸ ἀγαθὸν, id est, ipsum Bonum,) arbitretur esse, nihilominus ita sentit, siquidem creaturæ cœperint esse principio quodam, tum non aliud earum posse principium esse quàm INTELLCTVM diuinum. Quippe respectu eorum quæ extra Deum dicuntur esse, omnium antiquissimam esse Mentem, & vt ipse loquitur, τῶν ἁπάντων πρεσβύτατον εἶναι τὸν NOYN, id est, ante omnia antiquissimam esse genitam mentem censet. Quum enim res creatæ sint simpliciter Multæ, & cuiusq; multitudinis principium sit Vnitas, Mentis verò causa omnia Multa sint Vnum quiddam, Mentem his simpliciter Multis fore priorem, ac principiū etiam (quū Vnitas in omnibus rationē habeat principij, & Multitudo, seu cōpositio, rationem effectus) Philosophi

Propago, & genitura Mentis, qua ratione sit omnia, quæ sunt principaliter, & per ipsam extra Deum sint omnia condita.

Philosophi certissimis quibusdam argumentis & rationibus deprehenderunt ad Vnitatem omnia reuocantes. Mentem Parmenides dixit, omnia, Vnum esse. Progenies autem Mens ipsa est (autore Platone) τοῦ αὐτοῦ ἀγαθοῦ, id est, Ipsius Boni, quo non est simplicius Vnum, nempe existẽs αὐτὸ ἕν. Mens autem, & ipsa quidem Vnum est, sed Vnum omnia, & genitũ Vnum, τῶν ὄντων πλῆθος (id est, omniũ Entium multitudo) primum, vnitatis ingenitæ & simplicissimæ propago.

MENTIS principatus ostenditur.

Illud primũ & ἀγέννητον Patris nomine insigne Vnum Platonici dicunt ἄρρητον, id est, ineffabile, & ὑπερούσιον, id est supersubstantiale, quia sit ratione Mentis à se genitæ omniũ ὄντων, i. Entium principiũ, & non posse ipsum αὐτοαγαθὸν seu Patrem vtcunq; à nobis percipi nisi per genitã ab ipso Mentem, quã dicunt nihil aliud esse, quàm omniũ ὄντων ἰδέας, i. Entium Species. Quęso an hęc non consentaneè dicuntur sacris scripturis à Philosophis præsertim Platonicis? Et quod illi fortasse non sine scripturis, ratione tamen comite vtcunq; apprehenderunt, Id aduersarij nostri tot illustribus scripturis, & diuinis oraculis admoniti verum esse, & consentaneum non credent? quia propter stuporem scilicet & ruditatem animi Mysterij hãc lucem intueri, & magnitudinem eius animo concipere nequeũt.

Pater ἄρρητος, & ὑπερούσιος, non agnoscitur nisi per λόγον suum nempe Filium.

Ioan. 14. Philippe qui videt me videt & Patrem meum.

Philosophi, pleraque consentanea dicunt scripturis differentes de Trinitate, quam appellat Plotinus ἀρχικὴν τριάδα.

Non exculti igitur vera & solida Philosophia, ab ista non equidem erudita sed peruersa & agresti curiositate inquirendi rationes Mysteriorum abstinere se profectò, & potius simpliciter credere testimonio scripturarum, quàm eorundem quærere modum, & rationes quasdam probabiles debuissent, quas destituti certè scientia Philosophiæ inuenire aut certè vt-

cunctaque adumbrare nullo modo possumus. Plurima dicta reperiuntur, & scripta, tum ab alijs, tum præsertim à Plotino, quæ Catholicam de Trinitate fidem confirmant appositissimè, quam illi tamen à Philosophis quibusdam rationibus defensam, rudibus suis argumentis conātur tanquàm falsam oppugnare, freti quibusdam scripturæ testimonijs etiam, sed tamen ad suum peruersum sensum indoctè detortis. Veruntamen homines illi ἀπαίδευτοι solis sibi fidem & autoritatem veritatis ambitiosè admodum arrogant, omnibus alijs eam derogantes, quod ipsis accidit, vt faciant: nō pręstantia certè veræ & Philosophicæ eruditionis cuiusdam, sed quadam inani gloriæ cupiditate, & αἱρεσιαρχίας ambitione flagrantissima adductis, qua sese venditant, dūm plausibilibus quibusdam ac verisimilibus, id est, Sophisticis argumentis hominibus minus eruditis errorum has tenebras offundunt, sibi & alijs persuadentes vera hęc esse, quæ tamen sint falsissima, & à pietate ipsa & veritate alienissima. Philosophiam autem immeritò damnant, qui tamen quid Philosophia vera sit, ne per somnium quidem (vt dicitur) viderunt vnquàm, qui nihil inter veram Philosophiam, & Sophisticam impiam interesse magno errore iudicant. Nolunt autem secum disputari Philosophicè, id est, verè, & accuratè, ne victi scilicet cogantur se errasse fateri: quo fit etiā vt tam graui præiudicio damnent Philosophiam, qua disceptante causam, mox damnata illorum opinio & erroris conuicta conspiceretur. Plato, & qui secuti sunt ipsum, in Iouis substantia, seu Essentia (quæ sit numero vna) produci Regiam Mentem, & Regiam Animam

Platonis de Trinitate sententia.

quum

quum dicunt, non dissentire videntur à verbi Dei sacrosanctis oraculis. Aduersarij, nō Essentia Patris, sed extra essentiam Patris, Filium, & Spiritum sanctum produci Essentiam scilicet ab essentia, non Hypostasin tantū ab Hypostasi, manente & existente eadem Essentia, propagari arbitrantur. In reliquis non discrepant à nobis aduersarij, tantùm in vna Essentia Trinum videre Deum hypostasibus non possunt, qui vt Hypostaticis differentijs, ita quoque numero & multitudine quadam Essentiarum Deum diuidunt. Nos hactenus quo pacto λόγος, i. Verbum seu Mens prima in Patria substantia produceretur, & qua ratione sit ὁμοούσιος, id est, coëssentialis & consubstantialis Patri Filius ostendimus. Nunc de productione Spiritus sancti disseremus, quem scriptura produci à Patre, & Filio, & vtriusque simul esse εἰκόνα, id est, effigiem procedentem Spiritum sanctum testatur. Tanta est plenitudo vitæ in Patre, & Filio, qui vitam habent in semetipsis, vt non tantùm in ipsis sit perfecta, sed etiam tertiam vitam ambo, Secundum quendam ipsorum quasi actum, producāt. Perfectionis enim est sibi simile aliquid producere, & nō tantùm ipsum intra se subsistere prima Energia, seu primo actu (vt paulò antè fuit dictum) sed procedere etiam in secundum, qui differat hypostaticè à primo actu. Mens autem genita inprimis vitam habet in semetipsa, aut potius est ipsa Vita: quemadmodum Pater etiam, & simul ambo, Spiritum sanctum producunt tanquàm εἰκόνα; id est, effigiem sui, nempe Animam quandam participem Intellectus primi νοερῶν, Loquor autem in præsentia de Anima, quæ duntaxat

In quo discrepent à nobis aduersarij.

Quomodo producatur S S, ab vtroque.

intelligendo viuit, non autem viuit alijs potentijs, vt sunt δυνάμεις Animæ, quæ informatione quadam indigent corporis, quod corpus viuificando, ipsæ quoque quasi adminiculo corporis dicuntur viuere. Hanc

Spiritum S. Philosophi appellant Animam Dei νοερὰν.

Græci Animam, νοερὰν, id est, intellectualem appellant, vt quæ sit respectu τοῦ νοῦ, id est, Mētis, seu Mentis primæ quidam procedens λόγος, id est, intellectus, quemadmodum Mens prima sit respectu τοῦ αὐτοαγαθοῦ, i. Ipsius Boni, Nascens λόγος, i. intellectus. Græci porro appellant εἰκόνας, i. effigies à primis productos producentiũ λόγους nimirum hac ratione, qua λόγος non est separatum quiddam à Mente, quamuis enim alteritate quadam hypostatica differat ab ipsa, non οὐσίᾳ, id est, Essentia differt tamen à suo principio, quãdoquidem sit actus ipsius principij secundus vt diximus. Sic au-

Plotinus de Anima Regia, id est, Spiritu sancto.

tem Plotinus scribit de Anima Iouis Regia. οἷον λόγος ὁ ἐν προφορᾷ, λόγου τοῦ ἐν τῇ ψυχῇ. οὕτω τοι καὶ αὐτὴ λόγος νοῦ, καὶ ἡ πᾶσα ἐνέργεια, καὶ ἣν προΐεται ζωὴν εἰς ἄλλου ὑπόστασιν. οἷον. Πυρὸς, τὸ μὲν συνοῦσα θερμότης. ἡ δὲ ἣν παρέχει. Δεῖ δὲ λαβεῖν ἐκεῖ οὐκ ἐκρέουσαν, ἀλλὰ μένουσαν μὲν τὴν ἐν αὐτῷ, τὴν δὲ ἄλλην ὑφισταμένην, Et paulò inferius, Νοῦ δὲ γέννημα, λόγος τις, καὶ ὑπόστασις, τὸ διανοούμενον. Τοῦτο δέ ἐστι, τὸ περὶ νοῦν κινούμενον, καὶ νοῦ φῶς, καὶ ἴχνος ἐξηρτημένον ἐκείνου, id est, Qualis est oratio quæ profertur respectu Rationis in Anima, ita se habet Anima hæc: existens Ratio quædam Mentis, cuius est omnis ipsius energia, & vita, quam scilicet propagat de se producens aliã hypostasin. Vt Ignis, ipsius vernacula quædam est caliditas, alia verò est caliditas quam de se producit. At illic non accipere oportet tanquàm effluentem extrà, sed intrà, manentem, & hanc quidem intra sese, illam vt diuersam subsistentem. Et paulò inferius. Mentis propago est Ratio

quædam

quædam ac hypostasis, nempe id quod Ratiocinando intelligitur, id ipsum verò est, quod circa Mentem agitatur, & Mentis Lumen, & vestigium quoddam ipsius ab ipsa dependens. Mens quidem prima, est omnia νοητὰ ὄντα, id est, Intelligibilia simpliciter. Sed ab ea procedens quasi διάνοια ratio, id est, νοερὰ ψυχὴ, id est, intellectualis anima est ipsa quoque omnia ὄντα i. entia, sed ordinata processu quodam, quòd Mens simplex procedens in διάνοιαν, seipsam quasi ratione Animæ explicet, quum ἀμέριστως & ἀμίστως Mens duntaxat Animam quasi λόγοις diuiduam perficiat, & Anima potentia sit, quæ etiam ratione energiæ, possit extrà procedere creatrix scilicet, conseruatrix, & gubernatrix omnium causa. Intelliguntur hæc non nisi ab his, qui non vulgariter in Philosophia sublimi illa sunt eruditi, & explicari certè non breui oratione tanta mysteria possunt. His itaque in præsentia duntaxat, vt quibusdam hypothesibus ad refellendos aduersarios vtimur, qui sanè existimant, quocunque modo differentes res, Essentia quoque eas & οὐσίᾳ, i. substãtia esse discrepantes. Vt ergo sua essentia Pater non differt à Filio, id est, ὑπερούσιον, i. supersubstãtiale illud αὐτοαγαθὸν, i. ipsum bonum, à Mente à se genita, sed differt duntaxat hypostasi, sua perfectissima scilicet energia producens aliã perfectissimam Mentis energiam. Ita Mens hæc genita vnà cum Patre, Animam seu διάνοιαν sui participem, εἰκόνα scilicet, tanquàm lumen quoddam, nempe Tertiam hypostasin, per quam Diuinitas tota & creandis his quæ sunt extra οὐσίαν Dei, efficax est, & gubernandis etiam omnibus atque conseruandis, omnipotentem Spiritum producunt. Quoniam Anima est, quæ

Spiritus sanctus, tanquam διάνοια est Patris, & Filij, a quibus procedit.

Non omnia differunt inter se Essentialiter.

Characteres hypostaseon præcipui tres, Bonitas Pater, Sapientia Filius, Potentia Spiritus sanctus.

> Quæ ſit actio Spiritus ſancti extra diuinitatem.

quæ in ſua οὐσίᾳ non producit aliam hypoſtaſin, ſed extra οὐσίαν, id eſt, Eſſentiam ſuam: vnà cum Patre & Filio ſe proferre creando omnia conſueuit. Et Anima quidem ſeu Spiritu Dei, tanquàm continente, & conſeruante, & gubernante creata à Deo omnia dicuntur ſubſiſtere. Nam Spiritus ſanctus eſt, in quo ſunt omnia tanquam continente & συνεκτικῇ cauſa creaturarum. Et Plato ψυχὴν, i. animã (in Cratylo) quaſi φυσέχην, i. continentem cauſam rerum omnium, & vniuerſæ naturæ gubernatricẽ, dictã exiſtimat, nempe ὑπόστασιν τοῦ θεοῦ, ἣ φύσιν ὀχεῖ, καὶ ἔχει, i. ſubſtantiã Dei quæ Naturam ſuſtentet & contineat. Hic eſt ſpiritus Prophetarũ etiam, qui prę terita, præſentia, & futura & ordinata nouit omnia, πρόνοια exiſtens Patris & Filij, & quædam τῶν ὄντων ἡγεμόνη, qui profunda etiam Dei ſcrutatur, omnium intrà conſcius quæ ſunt Patris, & Filij, omnium conſeruator, diſpẽſator, & gubernator quæ ſunt extrà. Adumbratur hæc ſimilitudo quodammodo etiam in anima noſtra. Hac ratione perfectiſſima quidẽ eſt Anima noſtra, quòd lumine intellectus illuſtrata, ſapientiſſima eſt, & pro illa ſapientia gubernandis optimè rebus omnibus pręficitur. Agnoſcit autem Anima, ſeu διάνοια ſe perfectionem hanc debere Menti ſuæ, cum qua vnum quiddam eſt eſſentia, ſed hypoſtaſi quadam tamen differt. In tenebris autem Animæ noſtræ διάνοια mergitur, ſi corpori, & corporis affectionibus ſeſe dederit, & vita Mentis non viuificetur. Sed Anima & Spiritus Dei, propago perfectiſſimæ Mentis, & οὐσίᾳ, id eſt, Eſſentia cum ſummo bonò, id eſt, cum Patre & prima Mente, id eſt, Filio conſociata, nulla contagione mali poteſt attingi, quæ nihil niſi benè facere

> In Spiritu ſancto, Pater, & Filius, quaſi explicant ſuam Bonitatem, & Sapientiam, procedendo. Eſt enim δύναμις, qua creantur omnia, vt Pater eſt, quæ creat, & Filius, per quam.

> Similitudo Spiritus ſancti in Anima humana.

> Quæ ſint Animæ noſtræ, tenebræ.

facere omnia potest, eos scilicet à quibus procedit, ẽmitans, non primaria tamen & IPSA BONITAS, aut primaria, & IPSA SAPIENTIA existens, sed ab vtroq; bonitas, & sapientia, omnipotens SPIRITVS DEI sanctus ab vtroq; productus, & tanquàm immensa potentia ab ipsis vtrisq; procedens. Hactenus qua potui breuitate Philosophicam & non minus Theologicam etiam de sancta Trinitate sententiam, & rationem demonstrationemq; exposui, quã videmus Sacris scripturis, nec nõ Patrum, & Scolasticorum interpretationibus esse admodum consentaneam, horumq; omnium religiosissimo consensu, S. Trinitatem, numero & Essentia vnam, hypostaticis autem differentijs trinam statui ostendimus, quod tamen noui isti Trinitarij nullo modo verum, aut scripturis consentaneum esse posse contendunt. Atq; ille est Vnus simpliciter Deus verus omnipotens, æqualisq; maiestas scilicet hac vnitate trium hypostaseon est, æqualis sapientia, æqualis bonitas, æqualis immensitas, sed non tamen vndiquaq; similis, nisi quoad εἰκὼν similis est suo παραδείγματι, id est, exemplari, & quatenus genitum, genitori, & procedens, ei à quo procedit, simile existit. Nam Pater, ipsa Bonitas est, & Ingenita Spientia, Filius genita Bonitas, & genita Sapientia, Spiritus sanctus autem, vtrumq; est, ratione processionis. Et quanta est Ingenita bonitas, & Immensitas, tanta genita etiam, & procedens. Non enim Pater habet, aut est aliquid, quod non sit Filius per generationẽ, Spiritus sanctus per processionem, cùm sit vna diuinitas omnium. Ex quo sequitur, vt Pater, sit in Filio, & ambo sint in Spiritu

Descriptio processionis Spiritus sancti.

Æqualitas hypostatice differentium monstratur.

Quo pacto sint Vnum, tres hypostases diuinitatis.

ritu sancto, non disclusi partibus Essentiæ, aut locis quibusdam, sed omnes sint in omnibus, sine mixtione, sine confusione, sine inclusione, sine exclusione, simplicissimæ energiæ, vna quædam οὐσία & essentia Diuina existentes. Cuius rei quoque similitudo cernitur in Anima, & Accidentibus rerum aliarum, quorum non est idem Genus, id est, non contrarie inter se pugnantibus Accidentibus, vt verbi gratia: In saccaro, tota sunt in totis Accidentia hæc, nempe, Candor, Dulcedo, Siccitas, Grauitas, non mixta, non confusa, syncera autem, & simplicia simul in vna Essentia Saccari omnia subsistunt. Haud longè secus δυνάμεις, id est, facultates quoque Animæ sunt vna οὐσία, id est, Essentia, omnes scilicet in omnibus, & vndiquaque (vt Aristoteles inquit) ὁμοειδεῖς, id est, eiusdem speciei, qua ratione indiuiduam partibus Animam dicimus, totam scilicet in toto corpore, & in qualibet parte totam. Sic Aristoteles, οὐδὲν ἧττον ἐν ἑκατέρῳ τῶν μορίων ἅπαντα ἐνυπάρχει τὰ μόρια τῆς ψυχῆς καὶ ὁμοειδῆ εἰσιν ἀλλήλοις, καὶ τῇ ὅλῃ, id est, nihilominus in qualibet parte Animæ omnes insunt partes animæ, & ipsæ inter se eiusdem essentiæ sunt, & cum ipsa tota anima. Simili ratione ὁμοειδὴς, i. eiusdem essentiæ quiddã (si licet paruis magna cõparare) diuinitas tota erit respectu hypostaseon, in vna substantia, neque mixtis, neque confusis hypostasibus. Quemadmodũ contrà, partibus cõfusis alioqui Vnũ constituit cõfusum, quæ partes materiæ causa mutuis actionibus, & passionibus confunduntur in vnam mixti οὐσίαν, quæ (vt ait Hippocratres) totæ per totas dicuntur misceri. Ignaris Philosophiæ possunt hæc videri, vel admirabilia, vel impossibilia. At Philosophis non modò non impossibilia,

Exemplo declaratur quomodo hypostases sint in se mutuo.

Quomodo tota Trinitas sit indiuidua, & ὁμοειδὴς quiddam ratione οὐσίας.

Quid sit Vnum confusum, & partium causa diuiduum,

impoßibilia, ſed neceſſaria etiam eſſe hæc & veriſſima certiſſimis rationibus, & demonſtrationibus eſt perſuaſiſſimum. Certamen nobis eſt cum aduerſarijs duntaxat de Vnitate Eſſentiæ. Non enim poſſe eſſe putant vnam numero eſſentiam Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Itaq; autoribus his different numero, Patris eſſentia, & Filij, & Spiritus ſancti. Nam ſi vna ſit ad numerum omnium Eſſentia, quo pacto inquiunt, Verbum caro factum erit, & non Pater etiam, aut Spiritus ſanctus? Inenarrabilis eſt generatio Domini noſtri IESV CHRISTI, qua Filius, & λόγος, id eſt, Verbum dicitur aſſumpſiſſe carnem. Sed quòd nō ſimul etiam Pater, & Spiritus ſanctus aſſumpſerunt naturam humanam, quid mirum? ſi λόγος, id eſt, Verbum Dei logici animalis (quoniam Mens quoq; humana eſt λογική, id eſt, rationalis, qua ad ſimilitudinem quoq; Trinitatis creatus dicitur) naturam, & ſubſtantiam aſſumpſit, qua aſſumptione nos eriperet Diabolo, & denuo recreatos à malo reſtitueret nos in integrũ. Nec ſimul etiam, Patrem, & Spiritum ſanctum, opus fuit aſſumere naturam noſtram, quum vnitas eſſentiæ, nō ſit neceſſaria cauſa, vt ſi vna hypoſtaſis hominis naturam aſſumit, vt neceſſe ſit reliquas perſonas eandem aſſumere. Vt neceſſe non eſt, ſi dulcedo, & candor Saccari, quoad ὐσίᾳ & Subiecto ſunt vnum aliquid, ſi dulcedo afficiat linguam vt candor etiam afficiat eandem. Ac ſi Anima eſt vna numero, & Eſſentia, ob id neceſſe non eſt, ſi vegetatrix, & ſentiens, corpus informant, vt Mens etiam, corpus, aut aliquam partem corporis informet. Nam quòd Intellectus noſter aliquam partem corporis informet χαλε·

Argumentum aduerſariorum.

Non ſequitur Filius cum Patre, & S S, eſt Vnum Eſſentia, Ergo non tantum Filius ſed etiam Pater, & S. S. aſſumpſerunt hominis naturam.

πὸῤ κ̀ πλᾶσας, inquit Aristoteles. Itaq; si λόγ☉, id est, Verbum assumpsit naturam humanam, quamuis Essentiæ ratione cum Verbo vnum sint, Pater, & Spiritus sanctus, iccirco Patrem etiam, & Spiritum sanctum naturam nostram assumere non oportuit. Quare absurdo illo nihil concludunt quod faciat contra Vnitatem Essentiæ Diuinitatis, nec isto argumento nos Patripassianos esse probabunt. Respondimus suprà ad alia quædam absurda & ἄτοπα, id est, falsa, quæ ex nostro orthodoxo dogmate isti sequi arbitrantur, quæ causa breuitatis hîc omittenda duxi. Hactenus in nostro & catholico dogmate nō modò nihil absurdi inesse, sed omnia ex necessitate esse vera, ostendimus. Restat, vt Aduersariorum errorem, non modò falsum, sed impossibilem etiam esse demonstremus. Certamen autem nobis est duntaxat de Vnitate Essentiæ, quam illi negant, dum Patrem, Filium, Spiritum sanctum, non hypostasibus, vt nos, sed numero, & essentijs dicunt differre. Nihil enim aliud putant esse Filium aut Spiritum sanctum (pro eo vt nos de his personis loquamur) nisi inanis cuiusdam Relationis

Aduersariorum improbabilis sententia.

ifferentias, & appellationes. Nec Deum, de Deo genitum posse esse, aut dici, nisi Essentia etiam sit de Essentia genita, vt Petri filij essentiam dicimus nasci ex Pauli Patris essentia. Alioquin enim non verè esse quippiam, si duntaxat Relationis causa (quæ rebus accidit) esse dicatur, aut fieri. Reliqua autem eodem

Aduersarij nō eodem modo, quo nos τὸ ὁμοούσιον interpretantur.

modo quo nos, dicunt, vt Æternitate, Immensitate, Bonitate, Sapientia, æquales, & alio modo tamen quàm nos τὸ ὁμοούσιον Trinitatis interpretantur, negantes scilicet simplicissimam essentiæ vnitatem, qua scilicet-

licet numero quippiam vnum esse dicitur, & singulare, quod est verè Vnum. Quia Deus optimum quiddam & maximum est, omnipotens, Immensum, atque κράτιστον, id est, potentissimum, ei nimirum nihil annumerari poterit, quo melior, maior, aut potentior possit dici. Cui enim accedere & annumerari potest aliquid, quî poterit esse quæso κράτιστον, id est, præstantissimum, aut potentissimum, cùm additamento possit crescere? Quũ igitur extra ipsum nihil sit melius, nec additamento aliquo optimus melior, aut potens potentior possit fieri, necesse erit, Optimum, & Maximum, id est, Deum, Vnum causa essentiæ ad numerum esse. Quòd si differentium numero quorundam commune aliquid est Vnum, quo contineatur eorum Essentia vt Caput, Cor, Hepar, numero differentia, vnum sunt perfectione Animalis, quia participant Anima quasi communi Vna, quæ sit perfectissima totius corporis, & partium Entelechia, & cui in hoc genere nihil possit annumerari, Quare sequitur, vt commune illud participatum nempe Anima, & non illa participantia, summæ perfectionis appellationem habeant. Eadem ratio valet similitudinis, si quis dixerit, à tribus Essentia & numero differentibus participari vnam quandam numero Diuinitatem, quo fit sanè, vt participatum illud, & non participantia ipso, sit summũ illud, & primum, nempe Deus. Quocirca ante Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, erit prior aliquis Deus, illos (vt sic loquar) numero differentes, Vnitate sua, deificans, nec primò illis tribus sic numero discrepantibus Dei nomen congruet, quod ipsum etiam aduersarijs perabsurdum di-

Verissime Vnum. est NVMERO Vnum.

Argumenta, quibus ostenditur impossibile esse, diuiduam ratione essentiæ dicere Trinitatem.

Modus primus Vnitatis quo possent aduersarij dicere P. F. & S. S. esse Vnum.

Hypothesis prima falsa.

Hypothesis Vnitatis Logicæ, etiam est falsa.

Hypothesis tertia, qua statuitur Deus Pater Vnus solus Deus, falsa hoc loco ostenditur.

ctu haud dubiè videbitur. Quare hoc falso, illud etiã, ex quo sequitur, pro falso, & impossibili est habendũ. De communitate logica aliàs diximus, quæ breuitatis causa hîc repetere nolumus. Quòd si autem Deus Pater, est vnus ille & summus Deus (vt Aduersarij loquuntur) necesse erit, vt extra illius ἰδίαν, id est, essentiam cùm sint Filius, & Spiritus sanctus, hac ratione Deus non sint, qua non sunt summum quiddam & κράτιστον, id est potentissimum, nempe Pater. Quòd si Filius, & Spiritus sanctus complent perfectionem Diuinitatis, sequitur, vt Pater non sit solus Deus, quia non perfectissimus, cùm ei annumerentur duo, causa perfectionis. Iam singuli, & numero discreti scilicet non sunt appellandi Deus, quia sigillatim non sunt perfectissimum quiddam & omnipotens, simul etiam iuncti, Deus esse non possunt, cùm ex Finitis nõ possit cõstitui Immensum, & Infinitum, & Omnipotens, (cùm enim sint numero multi, non possunt esse Infiniti, quum duntaxat Vnum numero sit Infinitum, & extra Infinitum, eiusdem cõditionis nihil sit & naturæ) præsertim cùm vnus tantum possit, quantum alius, Omnibus enim Finitis, totũ quoq; erit finitũ. Nec est quòd dicãt, singulos omnipotentes esse. Nam Omnipotens quomodo erit, extra quẽ est Essentia discrepãs qui ab eo non possit vinci potentia, aut ex æquo sit ei omnipotẽs? Ex his itaq; tribus sic Essentia, & numero differentibus nõ constituetur aliquid omnipotens, nec aliquid horũ etiam omnipotens esse poterit, si aut (quemadmodũ est dictũ paulò antè) vnius Diuinitatis tanq; ἐντελεχείας cõmunis consortio sint deuincta tria hæc: aut si Logicè sint Vnum, nihilominus autem Es-

Vnũ Omnipotens nõ posse constitui ex tribus numero differentibus.

sentijs

ſentijs diſtincta ſint tribus. Deinde ſi generatio actiua patri aſcribitur, quæro, generatio hæc Accidensne ſit, an Subſtantia, an Differentia ſubſtantialis, ſeu Eſſentialis? Si Accidens eſt, ſequitur vt Filius non ſit conſubſtantialis Patri, ſed vel ex materia aliqua ſit propagatus, vel ex nihilo factus. At Subſtantia & χωριςὸν quiddam eſſe non poteſt ipſa generatio, cùm ſit Actus ſcilicet ſecundus qui à primo ſeparari nequit.

Generatio Patris producens Filiũ, vel Accidẽs eſt Patris, quod falſum eſſe oſtenditur. Vel eſt Subſtantia, quod etiam probatur eſſe falſum. Vel differentia eſt hypoſtatica, quod ex neceſſitate verum eſſe oſtenditur.

Omnis enim Subſtantia, ſeu Eſſentia, ſeparatũ quiddam & χωριςὸν, id eſt, ſeparabile eſt. Sequitur itaq; ex neceſſitate, vt ſit differentia eſſentialis in Deo generatio patria, & non per ſe eſſentia, ſed ex pluribus differentijs Vnius Eſſentiæ, quaſi pars quædam Totius exiſtat eſſentiæ, quam ſæpius aliàs differentiam hypoſtaticam appellauimus, & quæ ſit in Dei Eſſentiæ definitione, pars totius Definitionis, & non ſeparata quædam differentia ab Eſſentia Dei, niſi τῷ λόγῳ, vt dictum eſt aliàs.

Differentiæ hypoſtaticæ, non Eſſentiam in multas diuidunt, ſed multæ, Vnam conſtituunt.

Præterea, differentias has hypoſtaticas (quas nos paulò antè expoſuimus) ignorantes aduerſarij, inanes eas eſſe Relationes quaſdam arbitrantur, & quæ nihil ad eſſentiam rei faciant relatæ. Vt Patrem eſſe, aut Filiũ eſſe in creaturis, nihil aliud ſunt quàm vana quædam accidentia, & quæ non ſint pars οὐσίας ipſarum creaturarum. Quamobrem cenſent non poſſe Filium Dei intelligi, quatenus verus Deus dicatur, niſi ſubſtantiæ etiam cauſa genitus à Patre intelligatur, vt non tantùm Relatione, ſed etiam ſua ſubſtantia quadam à Patre differat.

Hypoſtaticæ differentiæ, non ſunt inanes quædam, & accidentariæ Relationes, vt videtur Aduerſarijs.

Quaſi non numero, ſed Specie duntaxat Logica exiſtente vna Diuinitate omnium, Materię deinde cuiuſdam cauſa, Specie vnum; aliàs numero eſſentiarum fiat multiplex.

Si numero differunt, & non ſpecie, Deus Pater, & Deus Filius, qui fit, vt Filius nõ ſimiliter generet alium.

Nam

Nam si Specie vna est diuinitas, & materię cuiusdam causa, (nam sine materia Species nulla fit numerosa, vt docent Philosophi,) tria hæc differunt, quî fit vt quemadmodum in creaturis Filius non tantùm est filius, sed etiam Pater est, aut esse potest, vt idem non vsu veniat in Filio æterno, præsertim tam efficaci, & omnipotente, quàm Pater est potens ad generandum alium? Sed nobis constat ratio, propter quam Pater duntaxat generet μονογενῆ, id est vnigenitum, & nõ Filius etiam. Nos Filium Dei vnigenitum dicimus nec Specie Logica eundem cum Patre, nec discrepantem materiæ causa numero Essentiæ à Patre, & eo non plures eo à Patre nasci, nec ab ipso Filio alios filios quoq; propagari potuisse, quia scilicet genitum à Patre Verbum eò est κράτιστον, i. potentissimum etiam quia vnicum & optimum, maximumq;, vt eius Pater est, sed alio modo, non alia tamen à Patre essentia subsistens. Cùm enim sit eiusdem Essentiæ, eiusdem quoq; erit omnipotentiæ, quoniam (vt paulò antè ostendimus) non potest esse omnipotens, nisi quid vnum sit numero omnipotens omne. Est igitur alio modo, Filius, sed tamen eadem, id est, æquali potentia omnipotens. Pater enim est, à quo sunt omnia, sed Filius, per quem sunt omnia, Spiritus sanctus autem, in quo omnia sunt. Et hæc quidem tria, sunt & Essentia, & numero Deus vnus omnipotens. Ex his est perspicuum, idololatricum esse, tres numero, & essentia trinos Deos pro vno ad numerum & essentia Deo amplecti. Argumenta autem, quibus fulcitur & munitur hic error, plena esse vanitatis & cæcitatis, certum est, vt quæ propter veritatis ignorantiã caliginem densissimam

Non potest esse Omnipotens, nisi sit Vnũ Numero.

Argumentorum Falsitas quibus suũ errorem confirmant aduersarij.

ſiſſimam ineruditorum animis offundant, vt tria hæc lumina cœleſtia, & omnipotentia, duntaxat hypoſtaſibus diſtincta, & non etiam οὐσίᾳ, id eſt, Eſſentia videre miſeri homines nõ poſſint. Omnipotens Pater, omnipotẽs Filius, omnipotẽs Spiritus ſanctus. Quia Deus & Pater eſt, & Deus Eſſentia, & non hypoſtaſi idem etiam Filius eſt, & Deus idem eſſentia eſt Spiritus ſanctus, tres ſcilicet, vnus eſſentia Deus. Nam nec Pater, ſine Filio, & ſine Spiritu ſancto definiri poteſt (nam ſimpliciter Deus etiam, non poteſt intelligi ſine tribus his) nec Filius ſine Patre, & Spiritu ſancto, nec Spiritus ſanctus ſine Patre, & Filio. Prius ergo, Pater, Filius, & Spiritus S. cognoſcuntur, quàm Deus eſſentia vnus poſſit cognoſci. Quò reſpiciens etiã dixit D. Hilarius: Tutò vnam ſubſtantiã Catholicus dicet, cùm antè dixerit, Pater ingenitus eſt, Filius genitus ſubſiſtit ex patre. Sed cõtrà, quando de Patre prędicatur Deus, aut de Filio, aut de Spiritu S. cùm tribus his, ſolitariè & diſtinctè ſignificentur differentiæ hypoſtaticæ, ſecundũ prius ſcilicet & poſterius, ratione nimirũ originis, Deus prędicabitur de his, & non, vt aduerſarij ſomniãt, ſimpliciter prædicabitur. Nam hac ratione (nempe ſi de ſingulis hypoſtaſibus, Deus ſimpliciter prædicaretur, colligeretur abſurdũ illud, quod ſubinde Aduerſarij obijciunt nobis, quòd videlicet ſequeretur, vt Pater eſſet vnum illud Trinum, Item Filius, & Spiritus ſanctus, quod ſanè confitemur ipſi quoq; abſurdum eſſe. Sed nos hoc modo de differentijs Hypoſtaticis Deum prædicari, (vt ipſorũ fert opinio) negamus. Nam differentias has, ab Eſſentia differre τῷ λόγῳ, id eſt, ratione, oſtendimus ſuprà, quæ

Quomodo Pater, Filius, & Spiritus ſanctus prædicentur de Deo.

Prius Trinitatem quam Vnitatem cognoſci. Rectius enim & planius loquimur, ſi tria dicamus eſſe Vnũ quam ſi Vnum dixerimus tria.

Deus, ſimpliciter prædicatur de Tota trinitate, ſed ſecundum prius & poſterius originis, de ſingulis hypoſtaſibus.

discrimina si didicerint Aduersarij, nō habebunt deinceps quo nobis inanibus suis & futilibus argumentis illudant. Pater enim, quia Pater, est Deus, sed non simpliciter, verùm generans Deus. Idem dicendum de reliquis. Non enim Essentia, quia Essentia, sed quia essentia Pater existit, generat. Similis ratio valet in reliquis hypostasibus. Nam Filius, non quia Essentia, sed quia Mens & hypostasis à Patre nascitur, cuius Patris characterem hypostaticum suprà appellauimus αὐτοαγαθὸν, id est, ipsum bonum, Melius enim hoc modo, quàm si repræsentetur similitudine, seu facultate Memoriæ Pater. Quocirca non ineptè Hilarius nos monuit, ita scribens, Essentiæ vocabulum, & Fidei in se habere conscientiā, & fraudem etiam paratam. Etenim fraus est si quis dicat, ideo Trinitatem nō esse, quia Deus sit essentia vnus. Quinetiā fraus & dolus occultatur illorū interpretatione & sensu, qui hac ratione Deum vnū dicunt, quia sint ab vno Patre, Filius, & Spiritus sanctus producti, essentia differentes scilicet, nō quia tres sint vnus Essentia Deus, quòd faciunt Antitrinitarij modò. Itaq; prius de trinitate hypostaseon dicendū, quàm Deus vnus, vnum quid Essentia esse declaretur. Nam omnes cōsentiunt Deum esse Vnum, quum tamen Deus vnus, quomodo sit vnus essentia, non intelligatur, nisi quoad trium hypostaseon causa Vnus intelligitur esse Essentia & nō trinus essentia. Neq; enim aliud quicquàm est Vnus essentia Deus, quàm Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus ab vtroq; procedens. Simili modo Anima nostra nihil aliud est, quàm facultas, & δύναμις, intelligens, sentiens, & nutricans. Nec est aliquid quartum

Pater, quatenus Pater, non est simpliciter Deus, sed generans Deus.

Patris hypostaticus character est αὐτοαγαθὸν.

Hilarius.

Vnitas Essentiæ non intelliguntur nisi per tria hæc, quæ sunt Vna essentia.

quartum, aut ab his tribus discrepans quædam οὐσία, id est, Essentia, & Essentia quarta, continens illas tres οὐσίας, id est, Essentias, vt sentiunt, qui tres Animas in nobis esse opinantur, & non tantùm vnam essentiam Animæ, quæ si non sint vna Anima, σωματικόν aliquid esse oportebit, quod ipsum quoque sit Anima quarta. Preterea quidã ex his dicunt, vnitatem hanc triũ personarum nõ essentia, sed similitudine quadã definiendam, quia Similitudo etiã sit quedã Species Vnitatis, quemadmodũ, & Æqualitas. Quò respexisse Aduersarij dicunt Hilarium, cùm inquit, Patrem, & Filium singularem Deum prædicare, sacrilegiũ est. Quod isti sic interpretantur, Patrem, & Filium vnum numero Deum prædicare, sacrilegium est. At Hilarius hoc loco non loquitur de Essentia, sed de personis, quas nefas sit omnes Vnam, & singularem personam appellare eo modo quo sunt vna & singularis Essentia. Non enim vt sunt consubstantiales, Pater, & Filius. ita quoque sunt vna persona, & compersonales. Quanquàm vt idem scribit Hilarius, Pater, & Filius possunt Vnum dici similitudine Generis, vt Homo, & Vrsus, vnum dicuntur Generis ratione, quod ipsum Genus quandã vnam rationem οὐσίας, i. essentiæ significat in Homine, & Vrso. Ita Pater, & Filius, sunt Vnũ, non ratione communi tamen οὐσίας, i. essentię, id est, genere quodam, sed singularitate οὐσίας, i. essentiæ, quæ nõ sit Genus, sed vt Hilarius inquit, instar quoddam & similitudinem habens generis. Quippe & Genus ad Essentiam pertinet Specierum, vna scilicet quædam Essentia, sed νοητή, id est, intelligibilis existens plurium specierum. Deitas autem, neque vt Genus, neque

Vnitas trium hypostaseon, non potest similitudinis Vnitate definiri.

Quomodo sit intelligendum dictum Hilarij.

Quomodo Pater, & Filius, apud Hilarium dicantur vnum quid similitudine generis.

vt Materia, indefinitum quiddam eſt cõmune, quum Eſſentia Dei nihil aliud ſit, quàm Pater cum Filio ab ipſo genito, & Spiritu ſancto ab vtroq́ producto, & ab his & præter has hypoſtaſes, non ſit quarta quædam Eſſentia differens à tribus hypoſtaſibus. Non enim aliud eſt Deitas, & aliud, Eſſe Deitatis, ſed de his alio loco dictum. Nec porrò etiam inani Relatione, & Accidente quodam differt Filius à Patre, vt Petrus Filius, à Paulo Patre, ſed differunt hypoſtatica quadam, & abſoluta ratione eſſentiæ, cum Relatione tamen quadam expreſſa. Nam ſuprà dictum eſt Patrem τοῦ αὐτοῦ ἀγαθοῦ, id eſt, Ipſius Boni characterem habere, Filium, Mentis genitæ, Spiritum ſanctum, Animæ omnipotentis, ab vtroq́ procedentis. Prius autem, & poſterius originis, adſcribitur Deo propter hypoſtaticas differentias. Cùm quatenus Vnus Eſſentia Deus, nullus ſit, neq; prior, neq; poſterior Deus, cùm ſit reſpectu eorum quæ ſunt extra Diuinitatem, primus & nouiſſimus Deus vnus omnipotens, cui nullus ſit ſecundus. In vno enim quia vnum, prius, & poſterius non ineſt, quum ſimpliciter vnum eſſentia planè ſit diuiſionis expers, & numeri. Dei Patris autem hæc prærogatiua eſt, quòd is ſcilicet ſuam Eſſentiam à ſe productis communicat, ſed tamen non vt aliud E S S E (nempe hypoſtaticum) ipſis dat producendo, ita quoq; aliam οὐσίαν, id eſt, eſſentiam largitur eiſdem, aut aliam Eſſentiam. Ex quibus perſpicitur, non imaginariam, figuratam, aut Tropicam, ſed omnino realem, & non ſecundum accidens ſubſiſtentem rationem eſſe trium perſonarum differentijs hypoſtaticis deſcriptam: nec eſſe neceſſe, imò eſſe impoſſibile, vt

E S S E Deitatis, ſeu Dei, eſt Eſſe Patrem, Filium & S. S. Nec aliud eſt, Deus ipſe quã Tria hæc.

In diuinis non eſt inanis Relatio, quum ſit differentia eſſentialis, non qua differãt eſſentialiter, ſed qua definiatur pluribus exiſtentibus vna Eſſentia.

Qua ratione prius, & poſterius, adſcribantur Deo.

Quid ſimpliciter Deus.

Eſa.

Quæ Patris ſit prærogatiua.

vt hypostaticum Esse, discretione, & numero Essentiarũ in diuinis à nobis describatur. Damnamus itaq; tanquàm maximũ & idololatricũ errorem, hoc quod dicunt, nempe Essentiam Patris nihil aliud esse quàm ἀγεννησίαν, id est, ingenerabile, & à seipso Esse. Incommunicabile enim esse ratione ἀγεννησίας, id est, ingenerabilis, non essentia Dei est, sed differentia quædam Essentiæ. Eodem modo nec Filij οὐσία, id est, essentia est, τὸ γεννητόν, id est, generabile, sed differentia eius, qua Deus & particeps eiusdem Essentię, hypostatica est. Hac ratione enim hypostatica, non possunt τῷ ὅρῳ, id est, definitione, vnum esse Pater, & Filius, neque enim pars, οὐσία, id est, essentia alterius partis esse potest, sed simul οὐσίας partes omnes, sunt vna tota, quamuis partes, τῷ ὅρῳ, id est, definitione sigillatim differant inter se, singulæ autem à totius essentia differant duntaxat τῷ λόγῳ, id est, ratione, de quo aliàs dictum, & exemplo Animæ nostræ declaratum. Iccirco Hilarius similitudine Generis, Patrem, & Filium aliquid vnum esse dixit, de quo paulò antè. Quòd si, ò Aduersarij, communem & vnam Diuinitatis οὐσίαν, id est, essentiã non negatis, & nihilominus dicitis patris οὐσίαν, id est, essentiam esse ἀγγεννησίαν, id est, ingenerabile, negabitis profectò, quod tamen propter pudorem & metum impietatis negatis vos negare, nempe Vnitatem Essentialem Dei, & contradicentibus rationibus, & orationibus vos metipsos implicatis. Nam si communis sit Patris Essentia reliquis, ipsam ἀγεννησίαν quoque esse oportebit communem. Quo existente falso, sequitur, vt non sint τῷ λόγῳ Essentia, & ἀγεννησία, idem, quemadmodum nos dicimus. Proinde si incommuni-

Hypostaticum Esse, non facit Essentiarum discrimen.

Error est dicere Patris essentiam nihil aliud esse quam ἀγεννησίαν.

cabilis est ἀγεννησία, Essentia autem Patris est, vt dicitis, communicabilis, siquidem numero differunt essentia Patris, & Filij, nō erunt certè vna simpliciter & communicabilis essentia Patris, & Filij, sed duæ erunt essentiæ, & non nisi κατὰ συμβεβηκὸς, nempe Logico vno communicabunt, quod Dialectici, τῷ εἴδει, aut τῷ γένει, Vnum appellant. Qua posita Vnitate & cōmunione in Diuinis, quęnam absurda sequantur, suprà abundè satis est demonstratū. Ab vnitate igitur Essentiæ discedentes, nullum habebunt tutum receptum, sed omnibus modis falsitas opinionis erit conspicua. Quod equidem ad phrases & vocabula γεννησίας, & ἀγεννησίας, attinet, nihil moror, quomodocunq; enim loquamur, nihil refert, modò consentanea scripturis sacris defendamus. Non enim in verbis, sed in rerum sensu atque intelligentia inest veritas aut falsitas. Sensum autem scripturarum verum non tantùm Grammatica interpretatione, sed præcipuè Dialectica, & supremæ Philosophiæ perfecta quadā notitia attingimus, quam vtinam pleriq; mallent incognitam addiscere, quàm tam superbo, & tam vano præiuditio tanquàm inutilem putidè contemnere, & conculcare: qui dum alios propter arrogantiam non audiunt, aut aliorum argumenta propter ruditatem non intelligunt, facilè intelligitur quo animo talium errorū patroni, & defensores esse voluerint. Hactenus breuiter, (vt potuimus) complexi sumus omnia, quæ visa sunt facere ad astruendum de Sancta Trinitate Catholicum sensum & orthodoxum dogma, & præterea ad refellendum nouæ Hæreseos horum Antitrinitariorum errorem. Rogamus autem supplices, & deuoti hanc ipsam Sanctam.

ctam, & indiuiduam pluribus eſſentijs Trinitatem, vt miſericors, & propitia mentes noſtras & tenebras illuminet, & ſe nobis conſpiciendam in ſanctis ſcripturis exhibeat, ne aut Vnum ſine Trinitate, aut Trinū ſine Vnitate creatorem, & opificem omnium rerum falsò credamus, ſed ex corde, & verè fateamur, & Eſſentia vnum & perſonis trinum eſſe Deum verum & creatorem noſtrum: cui laus, honos, & imperium per omne Æuum.

IACOBI SHEGKII SCHORNDORFfenſis contra Antitrinitarios Liber ſecundus.

EXPOSITIS OMNIBVS QVÆ pertinēt ad veritatem huius orthodoxi dogmatis, & ad refellendum errorem aduerſariorū, reliquum eſt vt præcipua contrariæ opinionis argumenta refellam, quod eò commodius, & preſſius facere potero, quum ſint hactenus omnia copioſè, & διεξοδικῶς ſuperius expoſita, quibus ſanè allegandis, breuiter illorum argumentis reſpondere & ſatisfacere potero deinceps, vt opinor.

Sequitur confutatio Argumentorum quibus ad aſtruendum ſuum errorem vtuntur aduerſarij.

Putant aduerſarij nos Sabellizare, quod nimirū nulla diſcre-

la diſcretione Eſſentiæ, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum ſubſiſtere dicamus, ſed duntaxat inanibus quibuſdam Relationibus eos diſcernamus, interim reuera cōfundentes ipſos & pro nihilo habentes hac Vnitate Eſſentiæ aſtrictos, qua poſita, plurima ſequantur abſurda. Poſſem ego dicere ipſos eſſe Arianos aliqua ex parte, qua nimirum ſentiunt, Patrem à Filio, nō tantùm ſubſiſtentia, ſed etiam ſubſtantia diſcretū, nec differre ab Ario, (qui tamē magis conſentanea ſuæ hypotheſi dixit) niſi quòd coæternū filium ſtatuunt, quod ipſum tamen certè ipſorum hypotheſi parum eſt conſentaneum. Nam ſi Generatio non eſt in ſubſtantia Patris, ſed extrà, oportebit genitum Filium eſſe creaturam: cùm quicquid ſit extra οὐσίαν Dei Patris, ſit creatura. Niſi velimus complures, vt Eſſentias Diuinas, ita quoq; plures ſine productione Deos aſtruere. At quod eſſentiæ cauſa producitur, eo prius aliquid Eſſentia ſit oportet. At quicquid Eſſentiæ ſuæ cauſam habet, id prius non fuiſſe oportet quàm ſit factum. Ita de Filio ſenſit Arius. Qua in parte quū non habeant quo ſe defendant, volunt nos ad ſimilem confeſſionem erroris ſcripturis quibuſdam cogere, aut ſi idem quod ipſi dicunt non fateamur, Sabellij erroris aſtutè nos inſimulant. Sæpè inquiunt, ſic in ſcripturis exprimi non vnum, ſed alium Deum Patrem, & alium Dei Filium. Vt quum ſcriptura dicit: Vnus Deus, & vnus Mediator Dei & hominū, homo Chriſtus IESVS. Si, inquiunt, ambo ſunt vnus Eſſentia Deus, quomodo numerantur? & horum quiſq; vnus dicitur ſigillatim Deus, & non ambo vnus Deus? Reſpondeo, numerari duos hypoſtaticè, ſed non Eſſentialiter

Aduerſarij, non minus atque Arius, coguntur fateri filium eſſe creaturam.

Non eſt neceſſe ſi quis errori Sabellij non aſtipuletur, vt ob id contrarium errorem, pro veritate approbet

tialiter Duos. Sed nihil eſt, inquiunt, ſine eſſentia Vnum. Concedimus. At non ſi quid ſine vna eſſentia, non eſt vnum, iccirco eſſentia quoq; per ſe propria, ſeu eſſentialiter, eſt vnum, & ſeparatum ab alio quouis eſſentialiter, quod ipſum euidens eſt in potentijs Animæ, quarum exemplo adumbramus ſubinde ſanctæ Triadis vnitatem, & Multitudinem. Sed nos perſonas Trinitatis definimus, nō tantùm Eſſentia Vna, ſed etiam differentijs hypoſtaticis tribus, quas nequaquàm Accidentia, aut inanes quaſdam Relationes eſſe ſuprà oſtendimus, ſed differentias vnius Eſſentię. Diſcretionem eſſentiarum quæ abſurda ſequantur, oſtendimus antea, & exemplo Animæ planum fecimus, quo pacto diuerſiſſimæ δυνάμεις, id eſt, facultates vna nihilominus Eſſentia & non multæ eſſentiæ exiſtant. Quod vt melius intelligant Aduerſarij, alio quodam exemplo volo adumbrare, hypoſtaſibus diſcrepantia, non etiam eſſentia diſcrepare, quandoquidem nihil verè illi eſſe arbitrentur, niſi quod ab alio ſeparatum ſit ſubſtantialiter ſeu Eſſentialiter, & ſeipſo non tantùm ſubſiſtens, ſed etiam exiſtens fuerit, & χωριστόν. Nemo ignorat, Animā vnam eſſe ſubſtantiam, & οὐσίαν, id eſt, eſſentiam, ſed talem οὐσίαν, id eſt, eſſentiam quæ proferat ſuam eſſentiam ad partes diſcretas alias, nempe corporis, quas informatione & οὐσίᾳ, id eſt, eſſentia ſua conſtituat animatas & viuas. Ergo cerebrum, quicquid dicitur eſſe, id propter Animæ οὐσίαν, id eſt, eſſentiā ipſum informantem dicitur eſſe. Eodem modo Cor. Nam exanimato homine, neq; cerebrum amplius eſt, neq; Cor, niſi æquiuocè, & ὁμωνύμως, id eſt, æquiuocè ſic appellentur. Vna ergo eſt Animæ, cere-

Aduerſarij nihil vere eſſe arbitrantur niſi ſubſtantialiter ſit ab alio ſeparatum.

bri, & cordis essentia, nec differt Anima essentia sua ab his vtrisq́; nisi quòd quatenus est Anima, dicitur esse seipsa, quatenus autem informat partes illas, non simpliciter esse, sed inesse, tanquàm Forma in Materia, dicitur, & partes illæ animatæ, ab anima, tanquàm ὁμοούσιοι, dicuntur propagatæ, sine quibus Anima non sit, nec illæ sine Anima sint. Fingamus Animam seipsa viuere, & non adminiculo corporis (imperfectio enim est, adminiculo alterius viuere) in sua propria scilicet οὐσίᾳ, i. essentia hypostaticas has perfectiones, tanquā actus secūdos, & ἐκείνας scilicet producentem. Producere sibi simile, perfectionis est, producere aliquid adminiculo materię, est imperfectionis. Tolle quæ sunt imperfectionis, tum in Animæ vegetatricis essentia inerunt, δύναμις cerebri, δύναμις item cordis, producens eas δυνάμεις in seipsa, quas modò causa imperfectionis dicitur producere Anima in corpore, & materia. Idipsum alio quodam exemplo commodius posset adumbrari, quod iam antea à nobis est propositum. Vt si δυνάμεις Animæ tres, nempe Intelligens, Sentiens, & Vegetans, hypostaticis & productionis originis differentijs inter se discreparent, de quo alio loco copiosè dictum. Non ergo si Deus Pater misit Deum Filium, aut seipsum Deum misit, aut Essentia discrepantem Deum misit, sed eundem Essentia Deum, verùm hypostatica differentia alium, quæ non est inane quoddam Accidens, aut vana Relatio, vt visum fuit Sabellio, sed differentia οὐσιώδης, id est, substantialis, quibus nimirum differentijs, & personę, & prętereа etiam tota Trinitatis essentia definiri cōsueuit, vt liquet ex superioribus à nobis demonstratis. Aduersarij

Si Anima in sua οὐσίᾳ produceret has differentias partium, quas ratione corporis dicitur producere, tum essent hypostatice differentes ab anima producente.

Quomodo Filius Idē Patri dicatur, & quo pacto, non idem.

uerſarij autẽ noſtri, hypoſtaticas illas differentias non cenſent eſſe οὐσιῶδές quiddã, ſed Accidens, & imaginarium quiddã (Græci enim Philoſophi, vt Ariſtoteles, Accidentia, appellant quędã φαινόμενα ὄντα, i. apparentes res,) qua opinione cum Sabellio faciunt Aduerſarij noſtri, quaſi rectè ſenſerit Sabellius fingens perſonatum Deum, tanquàm Vertumnum quendam Relationum differentijs obnoxiũ, vt qui modò hanc, modò aliam perſonam pro re nata tanquàm in Theatro quodam ſuſtineat. Non ergo eſſe Accidentia & inanes quaſdam Relationes Diuinas, quibus definiantur perſonæ, iam antea eſt demonſtratum. Probent igitur nos inanibus Relationibus hypoſtaſes ſeu perſonas Sanctæ Triados, deſcribere, & fatebimur etiam noſmet ipſos Sabellizare, ipſos autem aduerſarios verè & Catholicè ſentirè, quando Eſſentia diſcrepantes perſonas dicũt eſſe. Neq; verò à Sabellio tanquàm Hęretico fugientes, in veſtra diſcedimus tanq; transfugæ quidã caſtra. Non enim quem hypoſtaticè alium Deũ eſſe dicimus, eundẽ eſſentialiter etiã alium Deũ eſſe pronunciamus. Inter vos enim, ò Aduerſarij, & Sabellium, media eſt Catholica veritas, & fides, quam vos, propter τὸ ἐλλιπὲς τῆς διαιρέσεως, id eſt, defectum diuiſionis videre nõ poteſtis, dum confunditis ſcilicet nõ cõfundenda, & diuiditis, nõ diuidenda. Nos alio modo Deum dicimus Vnum, & alio modo Trinũ eſſe, quàm vos: nec ſi Sabellius peruersè ſenſit, iccirco vos ſentitis conſentaneè. Multiplex enim error eſſe poteſt, cum veritas non ſit niſi vna. Vos plures Deos eſſentia differentes, introducitis. Nos vnum Deum, nõ ſubſtantijs ſeu Eſſentijs, ſed Subſiſtentijs, non vnum

Differentiæ hypoſtaticæ non ſunt, vt Aduerſarij cum Sabellio interpretantur, inanes quædam accidentia, ſeu reſpectus quidam accidentarij.

esse dicimus. Vt vnus ergo Deus Pater est, ita vnus Deus est Filius. Ambo sunt vnus Substantia, seu Essentia vna, sed numerantur, & singulares sunt Subsistentijs. Substantiæ autem, & subsistentiæ discrimen illi propter ἀπαιδευσίαν nõ animaduertunt. Quando autem Scriptura dicit, Deum, ex Deo, aut de Deo genitum, non sic accipiendum est, vt si dicamus, Paulum ex Petro genitum, qui differunt Essentijs, sed, Deus, hoc loco significat, Esse hypostaticum Dei, vt Deus Filius genitus est, ex Deo Patre, non quòd Deus simpliciter genuerit Deum, & Essentia, Essentiam, propter causas in Diexodo suprà expositas. Sophistica igitur sunt aduersariorum argumenta, & confusa, ex vitiosis antecedentibus vitiosè concludentia, quæ omnia facilimè animaduertet, si quis benè ea, quæ hactenus diximus, intellexerit. Reliqua dicunt, vt nos, sed principijs non cõsentaneè, vt nos, partim Arium, partim Catholicos imitantes scilicet.

Quomodo intelligendum, quando scriptura dicit, Deũ, de Deo genitum.

Secundum Argumentum. Matth. 16.

Quærũt ex nobis, quomodò velimus interpretari hanc Petri confessionem quando inquit: Tu es Filius Dei viui. Quomodo igitur (inquiunt) aut qua ratione Christus secundum diuinitatem, est Filius Dei? num Patris Dei? an verò illius nostri Dei essentia Vnius, & hypostasibus Trini? Respondemus, vt in Diexodo est declaratum, vocabulum Dei, aliàs vsurpari simpliciter, vt cùm dicimus Deum esse omnipotentem, aut creatorem, quem definimus sic, vt sit Essentia vnus, & hypostasibus Trinus. Aliàs vsurpatur, vt significet Vnum hypostaticum, vt quando dicimus, Christum Dei Filium esse, nam non simpliciter Dei, sed Dei Patris est Filius. Ergo, inquiunt, quartus

tus

ctus erit Deus, qui neq; Pater solus, neq; Filius solus, neq; Spiritus sanctus solus sit, sed vnus Essentia simul omnes existens? Respōdemus nos, Vnum illum simpliciter Deum esse οὐσία, distinctum tribus hypostaticis differentijs tamē, de quo scriptū est: Audi Israël, Deus noster, Deus vnus est. Sed Patrem esse, aut Filium esse, est differentiam esse hypostaticam huius vnius simpliciter Dei omnipotentis, & creatoris omnium. Est enim Pater, non simpliciter Deus, sed gignens Deus, & à quo sunt omnia: & Filius quoq;, non est simpliciter Deus, sed genitus Deus, & per quem omnia: nec Spiritus sanctus est simpliciter Deus, sed procedens Deus, in quo sunt omnia. Simpliciter autem Deus est, simul gignens, genitus, & procedēs, à quo, per quem & in quo sunt omnia. Nec simpliciter esse aliquid, impedit, quò minus causa δυνάμεων, i. facultatū aliud, atq; aliud esse dicatur, vt Homo, quod est causa Essentię, & definitionis, Vnū simpliciter esse dicitur, & tamen nihilominus causa generis, & differentiarū, illud Vnum dicimus esse multa. Nec sequitur, vt Homo, præter partes suæ definitionis, sit aliud quiddam, cùm definitio nihil aliud sit quàm simpliciter res ipsa, id est, simul omnes partes definitionis, quibus Essentia absoluta definitur. Ergò cùm dicimus, Deus, Deum genuit, non simpliciter intelligendum est, vt quum dicimus, Deus creauit omnia, Deus omnipotens est, sed rationibus hypostaticis explicandū, qui Deus, quem Deum genuerit. Deus enim non quia Deus, sed quia Pater, gignit, & Deus, nō quia Deus, sed quia Filius, genitus est. Et vt ratio Simpliciter & essentia Dei, vna est, ita ratio eiusdem hypostatica, & relata tri-

Deut. 6.

Dei vocabulum, dupliciter prædicari.

Vocabulum Dei, non eodem modo in omnibus est intelligendum.

Aduerſarij concludũt abſurda, quia exiſtimant vocabulum Dei vno modo vſurpari.

plex eſt. Quòd ſi ratio vna eſſet vocabuli Dei, & non gemina, concluderetur, vtiq; id quod ipſi putant abſurdum ſequi, nempe quendam eſſe quartum Deum, Eſſentia vnum, & Perſonis trinum. Vſus igitur vocabuli Dei in ſcripturis quodammodo æquiuocus eſt conſiderandus. Deus enim qui creauit omnia, non eſt ſimpliciter is, qui Deum Filium genuit, non enim Pater ſolus creauit, ſed Pater ſolus genuit.

Tertium Argumentum.

Similem reprehenſionem, & reſponſionem habet, quando dicunt. Si Deus vnus eſſentia, & trinus perſonis eſt, ſequitur, qua ratione Deus Verbum, eſt eſſentia vnus cum Patre, & Spiritu ſancto, vt ſimul etiam Pater, & Spiritus ſanctus, ſint incarnati. Reſpondemus, vt ſuprà, non Deum, vt Deum, ſed vt hypoſtaſin, & vt Verbum, ſeu Filium, aſſumpſiſſe naturam humanam. Atq; id non abhorrere à natura & veritate, aut impoſſibile eſſe, oſtendimus, quum Anima etiam noſtra, ratione Eſſentiæ, vna, nihilominus ſuis facultatibus corpus informante reliquis, non ſequitur, vt Mente etiam, ſeu intellectu ſuo partem aliquã informet. Sed reſponſum ad illud eſt in diexodo ſuperius. Nos autem non (vt Aduerſarij) Patrem, & Eſſentiam Patris idem omnino dicimus eſſe, quum differãt formaliter, vt in diexodo eſt demonſtratum, & Eſſentia quidem Patris communicari poſſit, Patria verò δύναμις ſit incommunicabilis. Aduerſarij dicunt, quòd nec Eſſentia, nec patrium eſſe, poſſit alij communicari. Quomodo igitur erunt naturæ eiuſdem, Pater, & Filius, ſi Patris natura non eſt communicabilis? Aut quid vos quęſo appellatis communem naturam? Credo ſimilitudinem quandam, quæ tamen ſi-

ne naturæ. & eſſentiæ communione quadam tranſire in genitum nequit. At Deus non propagatur ſemine, aut materia, vt Homo. Nam ſic natura geniti, communicat etiam cum natura gignentis: ſed Logica ſpecie, non Natura & Eſſentia, quæ eſt ſimpliciter, & τὸ δέ τι ἕν quidpiam. Explicent igitur nobis, quo pacto in nõ communicantibus vlla re ad numerum, eadem poſſit ineſſe Vna & communicans ſe eſſentia, & natura? In creaturis Eſſentia diſcrepantibus, quæ ſimilitudinis Speciei Logicæ ſit ratio, qualis communicatio ſit naturæ gignentis, & geniti, videre poſſumus. Sed in Patre, & Filio Deo, non Homouſijs, naturæ communitatem, ne per ſomnium quidem talem, qualem ipſi fingunt, videre licet, eſtq́ omnino ὑπὲρ ἡμᾶς τοῦτο λεγόμενον, i. ſupra noſtrum captum quod dicitur, vt videatur nullo modo explicari poſſe modus hic communionis, quamuis illo tanquàm fundamento quodam maximè nitantur aduerſarij. Plæraſq́ illorum vaniſſimas nugaciſſimaſq́ rationes, defenſiones, repræhenſiones, conſultò prætereo, quum magnam inſcitiam Theologiæ, Philoſophiæ, & Dialecticæ artis redoleant, & quiuis illa tamen ex antea à me dictis & expoſitis, ſine negotio poſſit refellere. Futilia, infirma, leuia, ruinoſa ſunt omnia, quæ ex falſis hypotheſibus concluduntur, quibus euerſis & confutatis, ipſum vltrò argumentorum ædificium penitus, diſiecto falſo fundamento, corruit.

Diſtinguunt autem & ipſi ſignificationem vocabuli Dei, & in rem ſimpliciter ſignificatam hoc nomine, & ſecundum quid, ſignificatã. Ac Dei quidem vocabulum, vbicunq; abſolutè poſitum reperiatur in ſcriptura, — *Quartum argumentum.*

Aduersarij diuidunt etiam vocabulũ Dei, in simpliciter, & secundum quid significatum.

Non posse aduersarios rationem productionis explicare in Diuinis.

Dilemma.

ſcriptura, nihil aliud eo quàm Deum Patrem ſignifi- cari inquiunt, quum Filius (inquiunt) non ſit ſimpli- citer, ſed ex Deo genitus Deus, & Spiritus ſanctus ſit ex Deo procedens Deus. Quæ ſi vera ſunt, ſequitur, vt nec Filius, nec Spiritus ſanctus poſſint produci. Producti, inquiunt, diuinitatis ſunt participes, quam confert ipſis Pater. Sed nõ explicant productionem, & quomodo conferat communem illam & ſimilem Diuinitatem à ſe productis, Pater. Nam ſi, quia Pa- ter, eò ſimpliciter eſt Deus, Paternitas autem ſit in- communicabilis, ſequitur vt Diuinitas etiam ſit in- communicabilis. Aut ſi Pater, nõ quia Pater, ſed quia diuinitate præditus, ſimpliciter eſt Deus, compoſi- tum aliquid erit Pater, ex Paternitate, & diuinitate, quod compoſitum ipſum ſimpliciter Deus ſit, nem- pe compoſitum ex natura Diuina communicabili, & hypoſtatica differentia incommunicabili. Quòd ſi diuina natura Patris eadem numero exiſtens, com- municabilis eſt, idem vobis, ò Antrinitarij, erit dicẽ- dum & ſentiendum, quod nos dicimus, & ſentimus. Sin verò participetur à Filio numero diſcreta diui- nitas à diuinitate Patris, diuiduam ſcilicet numero quodam diuinitatem Patris eſſe oportebit. At diui- ſionis in partes res omnis incorporea expers eſt, eò enim differt incorporeum à corporeo genere, quia eſt ἀδιαίρετος, ἀσώματος οὐσία quęlibet, nec diuidi in partes po- teſt. Quare cùm hoc modo, nempe diuidue diuinitas Patris non ſit cõmunicabilis, ex neceſſitate cõmuni- cabitur eadem numero exiſtens cũ hypoſtaſi Filij, & Spiritus ſancti, quod ipſum nihil aliud eſt, quàm quod nos confitemur, Deum ſcilicet, eſſe Eſſentia & Nu- mero

mero Vnum, personis autem, vel hypostaticis differentijs, Trinum. Arctius astringi ratione argumentum hoc non potest, vt hoc tanquàm quodam Achille, interclusa & erepta omnia effugia videantur aduersarijs. Nam si Pater suam communicat naturam generando, vt Paulus suam generando Petrum, non diuinitatis certè, sed materiæ causa Filius propagabitur ex Patre. Propagatio autem ex nihilo, non est generatio, sed creatio, at illi Deum esse dicũt Filium, & Spiritum sanctum, quî poterunt igitur vel ex nihilo, vel ex materia produci? Strenuè igitur illi homines affirmant & asseuerant aliquid, sed ad probandum tamen nullos habere neruos argumentorũ conspiciuntur: & non tantùm aliorum argumentis, sed suis proprijs etiam ipsi hypothesibus exagitantur, confutantur, & coarguuntur, vt ex omni parte falsas, futiles, & non consentaneas esse appareat ipsorum rationes & disputationes quas in medium afferunt.

Aliquando in scripturis de Deo prædicatur Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus, nonnunquàm è regione, de Patre, Deus, aut de Filio, aut de Spiritu sancto. Si de Deo dicitur Pater, nihil certè propter Relationem Patris aliud quàm tota exprimitur Trinitas, quæ simpliciter est Deus, & extra quem non est alius Deus. Nam extra Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, non est alius Deus. Patris autem vocabulum non potest intelligi scilicet propter Relationem (cuius totum esse, est referri ad aliud) nisi respectu à se productorum. Simili ratione nec Deus Filius intelligi potest, absq; Patre, & Spiritu sancto, & Spiritus sanctus, non intelligitur Deus esse, absq; corre-

Quintum Argumentum.

Duplex est vsus vocabuli Dei, in scripturis.

latis, quibus finitur Spiritus sanctus. Contrà autem, si prædicetur, DEVS, de Patre, vt si dicatur, Pater, est Deus, tum prædicato scilicet propositionis significatur principatus quidam originis. Et hac ratione, de tribus sigillatim prædicabitur Deus non simpliciter, sed secundum prius, & posterius, quoad distinguuntur scilicet differentijs relatis hypostaseon. Dei enim vocabulum hoc modo significat in Diuinitate (quæ Diuinitas est Vna Essentia ad numerum) prius ipsum Patris Esse nõ causa Essentiæ, sed subsistentiæ, à quo nimirum est omnis Paternitas, quæ in cœlo, & quæ in terra est. Ita Patrem, per Filium, in Spiritu S. dicimus omnium creatorem. Eodem sensu dictum illud quoq; fuit: Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrũ. Deum suum appellat Patrem, propter principatum originis, quia ἀγέννητος, id est, ingenerabilis, & Filij γεννητικὸς, id est, generans, Pater Deus. Alioqui enim nisi vocabulum Dei (quatenus prædicatur de Patre) secundũ prius & posterius significans vsurpetur, necesse erit, si Pater dicatur Deus simpliciter, vt Pater etiam sit tota Trinitas, quod aduersarij nobis tanquàm absurdum exprobrant, ignari Dialecticæ, quæ docet non semper eadem significatione vsurpari vocabula. Nec est nobis laborandum, etiamsi differentiam hanc dictam vocabuli huius, quod est, DEVS, ipsi modò nobis vltrò iam non concedant, cùm alias tamen ipsimet Aduersarij eo significari dicant (ab ipsa veritate coacti) interdum simpliciter Deum, vt Patrem, nonnunquam secundum quid Deum, vt Filium, & Spiritum sanctum, de quo paulò ante fuit dictum. Quare

Eph. 3.

Qua ratione, Pater dicatur Pater noster, & Deus noster, & qua Filij, Pater, & Deus item.

Ioan. 20.

Si Pater est idem essentia inquiunt, cum Filio, & Spiritu sancto, sequitur, vt si Pater dicatur esse Deus, dicatur Pater quoque simul esse Filius, & Spiritus sanctus Ergo, per essentiam differt ab illis Pater. Hypothesis est Quinti argumenti huius.

ipsis quoque autoribus ὁμώνυμον erit Dei vocabulum, vt hac in parte eos suffragari nobis oporteat, nisi ipsi à se dissentire velint.

Quando autem Pater solus Deus verus esse dicitur, non sic accipiendum est, vt Aduersarij opinantur, quia videlicet Patris diuinitas, ad numerum vna & incommunicabilis sit, & quòd Filius, & Spiritus sanctus, sint Deus duntaxat propter similitudinē naturæ, quā habeāt cum diuinitate Patris, & tamen quę nā, aut qualis illa natura numero, & Essentia diuersa à natura Patris sit, non explicant, nec quæ, aut qualis illa similitudo sit, ostendunt. Solum ergo Deum esse Patrem aduersarij dicūt, quia sit fons diuinitatis reliquorum duorū. Ego quidem quomodo fons sese communicet intelligo, sed quo pacto Patris diuinitas sese communicet rebus numero, & Essentia à se differentibus, hactenus ab Aduersarijs intelligere non potui. Itaque Pater, solus interdum Deus verus dicitur, non quòd Filius, aut Spiritus sanctus eadem numero diuinitate (quæ Patris est) non sint Deus, sed quòd Diuinitas Patris, quam ipse Pater à se propagatis duobus communicat, sit vna, & sola, extra quam non possit esse Deus. Alioqui enim quomodo Filius etiam à Ioanne diceretur, Deus Verus, si Patria duntaxat Diuinitas, quatenus Patria, duntaxat Deus verus esset? Nam si Ingenitum esse, in causa est, vt Pater solus, id est, duntaxat Deus verus dicatur, Ergo Genitum esse, per se causa erit vt Filius non sit Deus verus. Etenim si affirmatio, per se est causa affirmationis, negatio per se causa erit negationis. Ex quo facilè perspicitur, quàm sit ἄλογος aduersariorum error, & quàm

Sextum argumentum.

Quomodo sit intelligendum quando Pater dicitur Solus Verus Deus.

Qua ratione Solus Deus verus (causa essentiæ) Pater dicatur.

Ioan. 1.
1. Ioan. 5.

diſſentaneà dicāt ſcripturis, quas tamē ſcripturas ſuis erroribus accommodare, & diſſidentes (δὶς διὰ πασῶν,) tanquàm conſonas applicare ineptè argumentando ſuæ opinioni conantur. Aliud autem eſt dicere, Patrem ſolum eſſe verum Deum, ſic, vt extra principatum ipſius originis, & extra eſſentiam ipſius, nihil diuinum eſſe intelligatur: & aliud, ſi quis dicat: Solum Patrem eſſe ſimpliciter Deum, prout Aduerſarij ſentiunt, quum Simpliciter Deus ſit Tota Trinitas, de quo dictum aliàs. At ſi ſolus Pater dicatur verus Deus, quomodo poterit ſine correlatis dici, quum Patris eſſe, ſit referri ad aliud? quæ correlata pertinent certè ad Eſſentiam Relatorum. De prærogatiua Patris in diexodo ſuprà dictum eſt, nec his repetitis in præſentia eſt opus. Itaqꝫ non alia ratione Filius Deus eſt verus, quàm qua eſt & genitus, & ſubſiſtens in Eſſentia Patris. Ex quo ſequitur, vt Filius Dei (quem vos deſcribitis neſcio qua ſimilitudine Naturæ) non ſit verus Deus, cùm non ſit idem Eſſentia cum Patre

Hilarius non facit pro Aduerſarijs. Deus. Nec pro aduerſarijs facit Hilarius, ſed noſtram non ipſorum ſententiam confirmat, inquiens: Per id enim Chriſtum cōfeſſa eſt Eccleſia eſſe verum Deum, quòd ſolum verū Deum confeſſa ſit Patrem. Ita quòd ſolus Pater, Deus verus eſt, Deum verum confirmat eſſe & Chriſtum. Hæc Hilarius. Veritatem diuinitatis Filius, & Spiritus ſanctus, à Patre habent, quum ab ipſo producti ſint coēſſentiales ei. Nam ſe ſolo, & ſeipſo Deus eſt Pater, at Deus eſt Filius, & Spiritus ſanctus propter Patrem. Nam ſi alius etiam differens eſſentia à Patre, & non ſolus Pater eſſet Deus verus, quis non dubitaret de Filio, extra eſſentiam Patris

genito,

genito, vtrum verus esset Deus, cùm non possit nisi vnum & primum solum esse verum: Pater autem solus primus origine & essentia Deus verus est.

Sequitur prodigiosa interpretatio verborum Ioannis, qua dicunt separatas ἰδίας Patris, & Filij, Ioannem voluisse his verbis explicare, quibus dicit, Verbum, seu λόγον, fuisse apud Deum Patrem. Nam, inquiunt, idem numero & essentia nō sunt hi, quorum Alter dicitur esse apud Alterum. Nos equidem hypostaseos respectu dictum illud interpretamur, quòd videlicet Verbum ita fuerit apud Deum Patrem, non vt disiunctum à Patris essentia, aut numero discretum quiddam, sed quatenus Essentia Dei, quæ est Deus, fuerit ipsum Verbum. Quando enim prædicato apponitur articulus apud Græcos, tum prædicatum essentialiter (vt sic loquar) de subiecto dicitur. Vt cùm dico, ἡδονή ἐστι τὸ ἀγαθόν, id est, voluptas est ipsum bonum, perinde est, atq; si latinè dicerem, Voluptas, est ipsum bonum. Aliud enim est dicere, Voluptatem, esse bonam, & aliud, Voluptatem, esse ipsum bonum, vt inquit Aristoteles in prioribus Analyticis. Quum itaq; Ioannes Apostolus ait, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, id est, Deus erat ipsum Verbum, sic exponendum est: Et Deus, erat ipsum Verbum, id est, ille Deus Pater, apud quem ratione ὑποστάσεως erat Verbū, ille scilicet ipse Deus nō ratione ὑποστάσεως, sed ratione suæ Essentiæ erat ipsum quoq; Verbum. Suprà diximus, quomodo Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus prædicari soleant de Deo per se, & in quid, tanquàm partes definitionis de definito scilicet. Nam quādo dico, Deus est ipse Pater, nihil aliud dico, quàm, Deus est ipsa Patria Essentia

Septimum Argumentum.

Ioan. 1.

Quomodo sint intelligenda verba hæc, Deus erat Verbum Θεὸς ἦν ὁ λόγος.

Ὁ λόγος in hac oratione, prædicatum est, & non subiectum.

gignens Filium, & producens cum Filio, Spiritum sanctum. Et hoc ipsum quid quæso aliud est, quàm dicere, Deus, est Pater, cum Filio, & Spiritu sancto? quum Relata separatim non intelligantur. Nam esse ipsum Patrem sic definimus, siquidem ἀντὶ τοῦ ὀνόματος, id est, pro nomine posita fuerit definitio seu λόγος. Pari, & simili ratione possum dicere, Deus, est ipsum Verbum, seu Θεὸς, ἐστὶν ὁ λόγος, id est, Deus, est ipsum Verbū. Nam Deus est ipsum Verbum, à consubstantiali Patre genitum, & cum ipso cōsubstantialem producens Spiritum sanctum. Non alia ratione prædicamus de Deo etiam ipsum Spiritum sanctum. Quoniam in hypostaticis quoq; definitionibus includitur ratio vna diuinitatis totius iuncta cum differentijs relatis scilicet reliquis hypostaticis. Nec Deus simpliciter, aliud est quicquàm, quàm Essentia vna, existens Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Possum sanè dicere, Homo, est ipsum, seu ὅπερ ὄν, id est, ipsum ens, Substantia, item corporeum, item Animatum, item sentiens ipsum: sed non contrà licet dicere, Substantia, est ipse Homo, aut corporeum, est ipse Homo. Sic permissum est dicere, Deus, est ipse Pater, aut Filius, sed non, Pater, est ipse Deus, aut Filius, est ipse Deus, quoniam secundum prius & posterius, hoc modo prædicatur Deus, cùm Ipse tamen Deus seu ὁ θεός, non nisi simpliciter, id est, simul de Patre, Filio, & Spiritu sancto prædicetur. Haud longè secus, Animam quoq; dicimus esse ipsam Facultatem intelligendi, aut sentiendi, sed contrà nemo dixerit, Facultatem aut intelligendi, aut sentiendi sigillatim, esse Ipsam Animam, sed simul omnes esse ipsam Animam, dicimus. Prædicatum

Quo pacto de simpliciter Deo possint prædicari vt ὅπερ ὄν seu in Quid, Pater, Filius, & S. S.

dicatum autem omne, quod in quid prædicatur de Deo, pars eſt definitionis Dei. Itaq; ὁ πατὴρ recte prædicatur de Deo, καὶ ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, quoniam tribus his definitur Deus ſimpliciter.

Octauum Argumentum.

Quum ſint idem aliquid nempe Eſſentia Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non ſequitur, (vt videtur Aduerſariis) ergo ſunt idem ſimpliciter, & omnino Vnus, cùm ratione hypoſtatica non ſint idem & vnus. Nec ſi rationibus hypoſtaticis differant, ob id ſequitur, vt Eſſentias quoq; habeant diſcrepantes. Illud Sabellius dicit, hoc Arij imitatores, qui extra Eſſentiam Patris Filium collocant. Ita enim concludunt præclari iſti argumentatores. Si Filius idem eſt Deus, qui Pater, Ergo vnus Deus, duo nomina habet: quare vera eſt (inquiunt) Sabellij Lybici opinio. Non eſt autem Filius idem, qui Pater Deus, quia ſi idem Deus, eſſet Filius vtiq; Pater. Ex quibus verbis poteſt colligi, quàm malè diuidant ſenſum ſcripturarum, quod D. Paulus ὀρθοτομεῖν, id eſt, recte diuidere appellat. Et perſpicuum etiam eſt omnes hæreſes non niſi ex inerudita ſcripturarum conciſione, & dilaniatione prouenire, qua nimirum corrumpitur harmonia veritatis per indoctos & rudes interpretes. Argumentantur autem aduerſarij hoc modo. Si Filius idem eſt Deus, qui Pater. Ergo, Idem erit Genitum, & Ingenitum eſſe. Omnino, inquam, ſequeretur illud, ſi quidem Eſſentia, & differentia hypoſtatica omnino idem eſſent. Sed nos eas τῷ λόγῳ, id eſt, ratione diſcrepare in diexodo demonſtrauimus. Communicabilis enim eſt Eſſentia pluribus, ſed differentia nõ eſt communicabilis. Fatentur & aduerſarij communicabilem

2. Tim. 2.

Quæ ſit cauſa Hæreſeon.

Eſſentia, & Differentia hypoſtatica, non omnino ſunt Idem.

lem Essentiam, cùm dicunt Deum, ex Deo genitum. Sed in eo errant, quòd incorpoream, & indiuiduam in partes numero & essentia differentes Essentiam diuinam, diuiduam in Essentias numero discrepātes, arbitrantur esse, qua nulla potest esse falsior & absurdior opinio. Vt interim non dicam, pro Vno Deo ipsos nobis obtrudere plures Deos numero differentes, quod tamen ipsum se facere ineptè & inconsideratè negant, & vnitatem, nescio quam, trium Deorum fingunt, quam non Essentia vna, sed similitudine quadam ficta & commentitia definiunt. Quòd si Omnipotentia, Bonitas, Sapientia, non sunt Accidentia, sed ipsa Dei essentia, & his ipsis sint aliquid vnum, essentialis hæc erit scilicet, & nō similitudinis cuiusdam ratione Essentia vna, quum similitudo non sit vnitas Essentiæ, sed Qualitatis cuiusdā Vnitas. Quæro iam quo pacto per generationem communicent hæc Filio, vt his omnibus Filius non differat à Patre? Certè Patris diuinitas non potest diuidi, cùm sit expers quantitatis & diuisionis in partes Essentia, ita quoq; omnipotentia, & bonitas diuiduæ non sunt. Ex quo sequitur, vt Filius (Patri non ὁμοιομερὴς) sit expers horum, quorum causa ab aduersarijs dicitur similis Patri, siquidem à Patre indiuiduo partibus nihil patrium ei possit inesse. At ex nihilo non potest creari Filij omnipotentia, cùm sit increabilis omnipotentia, neq; propagari etiam hoc modo, vt homo propagatur ex alio homine, quum nō sit ὑλικὸν quiddam omnipotens. Quæso igitur ab aduersarijs, vt modum mihi aliquem productionis diuinitatis & communicationis in Filio separatam à Patre habente Essentiam, explicent:

Aduersarij non rectè sentiunt de communicatione Essentiæ, seu Naturæ diuinæ.

Quæritur ab aduersarijs modus communionis trium personarum.

Absurda multa sequūtur ex opinione aduersariorum.

explicent? Videor enim mihi omnes dixisse, & tantùm illum Catholicũ modum generationis tum possibilem, tum necessarium probasse ac demonstrasse, reliquos autem omnes falsos, & impossibiles, & à veritate scripturarum alienos ostendisse. Quomodo autem ipsorum aduersariorum confictо, & præscripto modo & rationibus falsis non plures erunt Dij numero differentes, & essentijs? Ergo different numero separatarum Essentiarum, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & nihilominus (vt ipsi dicunt) tres numero Deos nefas erit illos appellare, quum tamen Essentia differre, nihil aliud sit quàm Numero differre? Ecquid illud est aliud quicquàm quàm Numerum essentiarum esse Numerum inficiari? Aut si numero non sunt tres Dij, aut si non sunt numero multi, Ergo vnus erunt Deus numero & Essentia, quod tamen vos non vultis, & tanquàm absurdum & hæreticum & à veritate alienum respuitis? Sic autem quidam ex Aduersarijs scribit: Etsi Filius Deus est, quia tamen à seipso Deus non est, sed à Patre tanquàm à fonte quodam perenni emerserit, hoc est, natus sit, ac totam Diuinitatem suam Patri acceptam referat, ideo nec est alius à Patre Deus, nec plures putandi sunt Dij. Hæc illæ. Quæso autem, qui non plures erunt quum differant Essentia, & numero? Forsan quia Specie sunt vnus, aut nescio qua similitudine. Sed contra hanc Vnitatem alio loco diximus. Idem, per posticum (vt dicitur) se proripit, quum ei obijcitur multitudo essentiarum & Deorum. Dicit autem ab huiusmodi quæstionibus pijs hominibus abstinendum, & de Deo loqui; aut credere nos non aliter dicere, quàm quemad-

Verba cuiusdam Antitrinitarij.

Ridiculum effugium aduersariorum.

L modum

modum ſeſe pateſecerit in verbo ſuo. Rectè dicit (aliud tamen quærens quàm præſeferat) Aduerſarius, ſed tamen non quemlibet ſcripturarum aut interpretem, aut iudicem admittimus vel probamus. Se plus vidiſſe putat Aduerſarius quàm omnes Patres ſcripturarum interpretes, aut omnes ſcolaſtici doctores (Patrum veſtigijs incedentes) viderint hactenus. Ambitio hæc eſt, & arrogantia, vt mihi quidem videtur, minimè honeſto, pio, & modeſto homine digna. Cenſet porro autem Aduerſarius hæc ἀσυνόνδως καὶ ἀμίσως pugnare, nempe dicere, Patrem habere ſuum proprium eſſe ſubſiſtentiæ, & Filium item, affirmare deinde idem & vnum ambos ſimul habere Eſſe eſſentiæ Patrem & Filium. Ex quo ſequi putat abſurdum illud, vt Filius non ſit coëſſentialis patri, ſed vt omnino Filius ipſe ſit Eſſentialis ipſe Pater. Quod cùm ſit (vt certè eſt) falſum, ſuum propoſitum concludit Aduerſarius eſſe verum. Sed claudicat, vt iam ſæpe eſt dictum, ratio hæc propter defectum diuiſionis ſeu diſtinctionis, nempe, vt Greci loquuntur, παρ᾽ ἔλλειψις τῆς διαιρέσεως, i. propter defectũ diuiſionis. Quippe non diſtinguit Aduerſarius, Eſſentiã Totius diuinitatis, à differentijs hypoſtaticis ſingulis, de qua diſtinctione aliàs eſt dictum, & ſæpe quidem. Habet itaq; Filius, ſuum Eſſe hypoſtaticum à Patre, ſed Eſſe Eſſentiæ ipſius Diuinæ tamen non eſt aliud, quàm Eſſe Eſſentiæ Patris, quum idem ſint numero, (id eſt, Eſſentia) Pater, & Filius, nequaquàm autem differant Numero ratione eſſentiæ, ſed ratione duntaxat hypoſtaſeon differãt. Nam Eſſe illud Eſſentiæ perſonarum diuidi non poteſt, neque ex materia propagari, neq;

Filius quomodo ſit idem Patri, & quomodo non idem.

Eſſe Eſſentiæ Dei, neque diuidi neque propagari, neque ex nihilo creari poteſt.

neq; ex nihilo creari, quemadmodum suprà ostendimus. Quin etiam perfectionis non est, Essentias rerum numero multas & diuisas esse, quum propter creationem & Naturam, Res, & τὰ ὄντα, id est, entia, omnia non sint V N V M aliquid Essentia. Quemadmodum alioqui omnia sunt essentia Vnum causa Mentis & principij, & vnum omnia extra mentem esse desinant propter διάκρισιν Essentiarum extra principium, quoniam vt ait Aristoteles, τοιαύτη γὰρ ἑκάστου ἀρχὴ αὐτῶν ἡ φύσις ἐστίν, id est, tale enim verò principium est cuiusq; Natura, de multitudine ὅσων loquens, Hanc autem extra Deum, Naturæ principio fieri διάκρισιν τῶν ὄντων, id est, secretionem entiũ, (quæ, omnia sint multa numero & essentijs) scribit Aristoteles in Metaphysicis. Natura autem ipsa rerum creatum est quoddam principium, & posterius essentia Deo. Quare Multitudo essentiarum, vernacula Rerum naturæ (quæ nimirum Multitudo, est propria rerum creatarum numero Essentiarum differentium) Deo certè nequaquàm congruet, præsertim cùm illud principij sit proprium (autore Aristotele) vt Vnum essentia existens, multa faciat, seu Multorum ac Multitudinis essentiarum extra se sit causa. Sed hæc, inquiunt, Philosophica sunt. Malo certè, quàm sint indocta, rudia, falsa, ficta, confusa, & Sophistica, vt sunt Antitrinitariorum. De his profecto Mysterijs iam antea dixi, quòd nõ possint nec Grammaticè, nec Rhetoricè, neq; ex cuiusq; sensu, nec Mathematicè etiam, aut Iuridicè aut Medicè disputari aut explicari, sed ex Theologiæ fundamentis, ab hominibus tamen eruditis, & benè versatis in vera & exquisitiore Philosophia

Natura est in causa Vt τὰ ὄντα differant inter se Numero.

Principij propria est V N I T A S, seu Vnum esse per essentiam.

phia, nō ab his qui ſuis proprijs à ſe excogitatis ratio-nibus credant, & ineruditis Phantaſijs, fidem habeant.

Nonum Argumentum.

Præterea locum illum Ioannis 5. qui eſt: Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſeipſo. Habere (inquiunt) vitam, idem eſt vtiq; quod Eſſe ſuum habere. Deum autem dare facultatem habendi vitam, quid aliud eſt, quàm dare Eſſe? Habet itaque Dei Filius ſuum Eſſe non aliunde, quàm à ſuo Patre. Deinde interpretantur vocabulum coëſſentialis, ſeu cōſubſtantialis, quòd nimirū Nicæna ſynodus illud Blaſphemiæ Arianæ oppoſuerit, quia Filium Arius ex non exiſtentibus creatum eſſe dicebat. Hactenus Aduerſarij verba recenſuimus, qui putat eò Patrem, & Filium, vitam habere à ſeipſo, quia ſuum vterq; habeat Eſſe Eſſentiale ſeparatim. Alioqui enim ſi Filius cum Patre eandem haberet Eſſentiam, haud illum habiturum vitam in ſeipſo, vt qui eam ab Eſſentia Patris, & non ſua propria eſſentia haberet. Vt Corpus, quoad eſt coëſſentiale Animæ, ſeu Animalis, non habet vitam à ſeipſo, aut in ſeipſo. Proinde, vitam, quandam eſſe Energian, cuius principium ſit in ipſo viuente, & quatenus pars Eſſentiæ ſit etiam viuentis, ſeu ἐντελέχεια principium illud, & non aliquid extrinſecus adueniens, ex Philoſophia eſt notum. At perfecta eſt Vita, Energia nimirum quædam ſimpliciſſima, id eſt, Res, quæ ſit οὐσία ἐνεργεία, nullius adminiculo indigens extrinſecus vt perficiatur quadam ſecundum Accidens ἐνεργεία, nec quatenus etiam principium eſt, conferat ei, quam conſtituit ſubſtantiæ, energian quandam vt Anima corpori. Pater itaque

Quid ſit, Vitam habere in ſeipſo.

Deus

Deus, & Ipse seipso VITA est, quia est οὐσία ἐνεργεία, id est, essentia actu, & Vitam aliam in sua οὐσία, id est, essentia producit, quæ & ipsa non est Accidens, sed οὐσιώδης ὑπόστασις, id est, essentialis hypostasis, & Actus secundus Patris, attamen non hoc modo est Actus secundus, vt eo tanquàm Accidente perficiatur primus vitæ Patriæ actus. Verum hoc modo secundus est, vt ipse etiam οὐσία, id est, essentia diuinitatis eiusdem sit ἐνεργεία, i. actu, & vitam habeat in semetipso, non adminiculo alterius viuens, vt Anima adminiculo viuit corporis, non existens suapte οὐσία ἐνεργεία quum sit ἐντελέχεια corporis quædam scilicet Anima. Et hac ratione non tantùm Pater uitam habet in semetipso, sed etiam Filio dedit vt vitam haberet in semetipso, quo exprimitur productio hypostatica Filij, cui non est similis vita in creaturis, vt quarum vitarum productarum actus secundus non sit differentia quædam substantialis, seu hypostatica, sed accidens quoddam, & adminiculo alterius indigens vita. Loquor autem de his etiam quæ οὐσία sunt ἐνεργεία, id est, actu, Vt si Angelus aliquid quod sit extra suam essentiam intelligat, non producet aliquid hac intelligentia, quod vitam habeat in semetipso, sed notitiam quandam producit quæ sit Accidens quoddam Angeli. Constat autem, Deum nihil intelligere extra se, sed opus eius, quod sit extra Dei οὐσίαν, id est, essentiam, esse creationem & conseruationem rerum creatarum. At verò videtur Aduersarijs nihil vspiam produci à quoquàm quicquàm, nisi quod essentia differat à Producente, quod falsum esse suprà ostendimus, quum interior Homo (qui est Anima) producat, aut simul etiam sit productus

Qua ratione Pater det Filio, vt in semet ipso quoque habere Vitam dicatur.

Energia Dei, extra Essentiam, dicitur Creatio.

ctus cum exteriore homine nempe animali homine, qui tamen ambo ſunt vnus Eſſentia Homo. Interior quidem Homo, Mente, ſed exterior, carne definitur: vtriuſq; particeps eſt Anima hominis. Sed aduerſarij propter tetram ignorantiæ rerum Philoſophicarum, & rationum perturbationem & labem, vulgaribus quibuſdam agreſtibus, & impolitis rationibus veritatem oppugnant, quibus decepti etiam Turcæ criminantur de impietate Chriſtianos, tanquàm ſi pro vno Deo, tres eſſentia ſcilicet ſeu ſubſtantia differentes Deos colerent & adorarent. Quod crimen tamen ipſum, pertinet propriè ad Aduerſarios, non ad eos qui Catholicam confitentur fidem, & Vnum Eſſentialem, ſeu ſubſtantialem, conſubſtantialibus tamen hypoſtaſibus Trinum, confitentur, inuocant, & adorant Deum.

Non omne quod ab alio producitur, vel quod cum alio producitur, differt Eſſentia, a producente.

Decimum Argumentum.

Inſpexi præterea libellum quendã ſcriptum, quem mihi legendum quidam pius vir exhibuit, in quo ſunt argumenta quædam, quibus error hic Diuinæ Trinitatis corroboratur, quæ ſigillatim hoc loco confutanda duxi. Si indifferenti natura (inquiunt) Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, vnus Deus eſt, Ergo quemadmodum Pater à ſeipſo ſubſiſtit, & à ſeipſo ſuum Eſſe habet, eadem quoq; ratione, & Filius, & Sanctus Spiritus à ſeipſo ſubſiſtunt, & à ſe ſuum ESSE habent. Hoc enim indifferens natura vult, vt ea communis ſit tribus aliunde, Hactenus illi. Nos verò negamus ita ex ſeſe ſubſiſtere, id eſt, ſubſiſtentiam quandam eſſe, Filium, aut Spiritum ſanctum, vt à ſeipſis, & eſſentia ſeparata ſubſiſtant, quum ſubſiſtere aduerſarijs nihil aliud ſit, aut videatur eſſe quàm originem aliunde

Quid ſit Subſiſtere aliunde.

aliunde habere ſuæ Eſſentiæ. Indifferentia autem hæc referenda eſt potius ad Eſſentiam, & ſubſtantiã communem, non ad Subſiſtentiam perſonalem ſingulorum, quum non ſint omnino Idem, Eſſentia, & Subſiſtentia, ſed differant inter ſe formaliter, ſeu τῷ λόγῳ, vt ſæpenumero iam eſt dictum. Concludunt igitur malè, quòd hac ratione amittamus veram γέννησιν Filij, & veram proceſſionem Spiritus ſancti, quam illi non putant defendi poſſe, niſi in Eſſentialiter diuiſis. Cæterùm his omnibus copioſè ſuprà eſt reſponſum, vt eadem repetere non ſit opus. Quo ſit referenda, Indifferentia naturæ.

Præterea quod dicunt, Quoties mentio fiat in Scripturis, Dei vnius, non alium ſignificari quàm Deum Patrem, ipſorum eſt figmentum, nõ autem legitimus ſcripturæ ſenſus aut interpretatio. Nam ſi Deus eſt, à quo, per quem, & in quo ſunt omnia, & quem creatorem etiam vniuerſorum confitemur eſſe, nonne is ille Deus erit vnus qui ab initio creauit cœlum & Terram, & non duntaxat & ſolus Deus Pater, qui ſine Filio Deus eſſe non poſſet, & vterq; Deus non eſſet ſine Spiritu ſancto, tantum abeſt vt hoc modo ſolum Deum verum, Patrem, excluſis Filio, & Spiritu ſancto, eſſe fateamur, quod ipſum fateri, non eſt prærogatiuam dignitatis Paternæ defendere, ſed abolere potius ſubſiſtentiam ipſius, ſimul abolitis vtriſq; ab ipſo productis. Et ſuprà quidem multa contra hunc errorem diximus. Quomodo autem non hoc derogat diuinitati Filij, & Spiritus ſancti, ſiquidem (vt ipſi loquuntur) ſua Eſſentia, & non tamen ſua Subſiſtentia ab his ſit ſeparatus Pater? Ex quo ſequitur, ſi ſolus Pater ſit Deus, vt alia quædam eſſentia, extra Patris eſ- Vndecimum Argumentum. Rom. 11.

ſentiam

sentiam(vt Filij essentia,) non possit esse Deus. Aut si Filius quoq; sit verus Deus, sequitur, vt Pater non solus sit verus Deus, vtrumcunq; dixerint, ipsi seipsos mendacij & falsitatis coarguēt. Aliud ergo est, (quod aduersarij propter ruditatem nō intelligunt) Esse Patris, & aliud est Essentia Patris: & Esse quidem Patris, incommunicabile est, sed Essentia, communicabilis. At non hoc tamen modo, quo ipsi dicunt, communicabilem esse liquet Essentiam Dei, suprà enim ostendimus Modi Aduersariorū absurditatem. Proinde nos quoq; dicimus & fatemur solum esse Deum Patrem, quia scilicet non sit alius Deus Pater, aut origine prior, quemadmodū dicimus etiam vnum Deum Patrem, & solum, & vnum Deum Filium, & solum, atq; vnicum Spiritum sanctum, & omnes simul causa Essentiæ solum & vnum numero Deum verū. At illi diuidentes Deum in multas Essentias, metuentes sibi ne cogantur fateri plures Deos, iccirco vt nihilominus Vnitatem Dei defendant, solum Patrem illum Vnum verum Deum in scripturis dici, autumant, de quo suprà quoq; illis est responsum. Et nihilominus Filium quoq;, & Spiritum sanctum Deos, verùm non simpliciter, sed quoad ille sit Genitus, hic verò procedat confitentur. Patrem verò (quia generet) prærogatiuam habere principalem Diuinitatis, qua ratione etiam sit vnus & solus ille Deus appellandus. Quòd si prærogatiua hæc ἀγεννησίας Deum simpliciter facit, sequitur vt neque Filius, neq; Spiritus sanctus, sit Deus. Aut si per omnia sint ęqualis Bonitatis, Omnipotentiæ, Sapientiæ, Immēsitatis, prærogatiua hæc non determinabit diuinitatem, cùm non

Aliud est, Esse Patris, & aliud, Essentia Patris.

Quomodo Pater sit solus Deus verus.

Prærogatiua ἀγεννησίας, non facit simpliciter Deum.

Patrem

Patrem esse, sed omnipotentem esse, optimũ esse, maximum esse, diuinitatem propriè circumscribant, & separent ab omnibus alijs quæ non sunt Deus. Quo pacto igitur Pater solus, & vnicè erit Deus, si per omnia Diuinitatis elogijs, ei Filius, & Spiritus sanctus (autoribus quoq; aduersarijs) sint æquales? Itaq; neq; etiam hoc loco se expediunt, sed hærent, vt dicitur, in luto, quærentes speciosum effugium ne plures scilicet Deos videantur astruere, vitantes scilicet Sabellij Charibdin, incidũt in Scyllam nouæ cuiusdam hereseos ex parte, nimirum Arianizantes. Ideo, inquiunt, ratione originis, seu principij (ne plura principia in Diuinitate inducantur, & ex consequentia, plures Dij,) soli Patri tribuitur appellatio vnius veri Dei, quòd ipse solus ingenitus sit, principij, & originis expers, & προπάτωρ, id est, ante se Patrem non habens, sed quia ipse sit à seipso, & ex seipso Deus, & propterea omnium Deus, & soli ipsi competere hanc particulam, Omnium Deus, quòd & Christi Deus, qui sit ex Deo scilicet, in Deum natus. Sed Filius tamen non omnium Deus est, quia non est Deus Patris, &c. Tribuimus nos quoq; prærogatiuam hanc Deo Patri, sed eò non sequitur, vt solus, & vnus simpliciter Deus dici debeat Pater, quũ solus non sit omnipotens, & solus nõ sit, à quo, per quẽ, & in quo sunt omnia, sic definiente D. Paulo Diuinitatẽ, aut Deum, quem aliàs diximus simpliciter Deũ appellari in scripturis, Deum scilicet conseruatorem, gubernatorem, & creatorem omniũ. Negamus igitur Deum vnum, solum, & verum, pro Patre (eo modo quo ipsi exponunt) habendum duntaxat, de quo plura dicerem, nisi

fere omnia superius exposuissem, & lectores pios in- utilibus repetitionibus fagitare nollem.

Duodecimum Argumentum

Non minus absurde illud etiam nobis obijciunt. Si (inquiunt) Deus nihil aliud est quam Essentia vna, Pater, Filius, & Spiritus sanctus existens, & Filius, sit Dei Filius, sequitur vt si huius Dei Trini sit Filius, vt etiam sui sit Filius. Nos respondemus, Deum simpliciter sic finiendum esse. At Filium, non respectu Dei simpliciter, dici Filiũ, sed respectu Dei Patris. Quapropter argumentum illorum laborat Sophistico paralogismo, quo proceditur à quodam, quod secundũ quid tale dicitur, ad id quod simpliciter tale appellatur.

Filius, non respectu Dei trini dicitur Filius, sed respectu Dei Patris.

Inter absurda numerant etiam illud, quòd videlicet vnus essentia ac Numero Filius existens cum Patre & Spiritu sancto, non solus naturam humanam potuerit assumere, consortio enim vnius Essentiæ participes fore omnes aiũt assumptæ humanitatis. Alias suprà respondimus ad hoc absurdum, & exemplo Animæ nostræ ostendimus, non si omnes ipsius δυνάμεις sint vna Essentia Animæ, iccirco, si facultas sentiendi informet corpus, ob id ipsum facultatem quoque Mentis informaturam partem aliquam corporis. Ergo necesse non est, si vna sit numero trium essentia, vt si Verbum caro sit factum, naturamque humanam assumpserit, ob id ipsum, Patrem quoque, aut Spiritum sanctum hac societate & assumptione naturæ humanæ teneri. Ecquid absurdum si dicamus creatorem λόγον, vt suam testatam faceret misericordiam, assumpsisse Logicum animal, vt perditum astutia Diaboli recrearet, & restitueret ipsum Deo merito obedientiæ suæ, pro omnium scilicet qui in ipsum credituri essent,

essent, salute, & remissione peccatorum satisfacturus. Nec vt Filius est, per quem, ita etiam Pater, & Spiritus S. est, per quem, vel creata sunt, vel restituta sunt omnia (assumpta carne) in integrū, quæcunq; sunt in cœlo, & quæ in terra. Pater enim est, à quo, & Spiritus sanctus, in quo sunt omnia. His enim characteribus hypostaticas differentias distinguit Diuus Paulus. Descendit autem ad nos λόγος, id est, Verbum, tanquàm visibilis Deus in carne. Non enim aspernatus est eos, quos initio condiderat, vt misericordia eius conspicua etiam esset in redimendo genere humano, cuius ab initio potentia, Iustitiaq; in creando ipsum enituisset. Iam itaq; IESVS CHRISTVS est, qui ante secula λόγος, id est, Verbum Dei fuit, id est, Dei Filius, in consortium Maiestatis suæ admittens humanam naturam, vt Diaboli superbiam, & fastum humilitate hac pessundaret, & vt doceret, fide ipsius fretos, eisdem vestigijs patientiæ, & obedientiæ incedentes nos posse in regnum cœleste ingredi, quasi post liminiò ab ipso restitutos. Sed hæc, vt isto modo fierent, Patri est visum, & talem Mentem ab æterno in se genuit, quæ nimirum hanc dispensationem Mysterij suo tempore exequeretur. Sed de hoc dictum satis. Perperam ergo aduersarij sentiunt, non potuisse solum incarnari Verbum, nisi Essentia quoque & substantia separatum quiddam ab vtrisq; fuisset reliquis. Perinde hoc dicunt ac si Anima nostra non posse informare sensum oculorum diceretur, nisi separatam haberet δυνάμεως οὐσίαν, id est, facultatis essentiam hanc à reliquis omnibus suis facultatibus. Verùm hæc omnia proficiscuntur ex ignorantia eorum, quæ

Eph. 1.
Rom. 11.

Quibus Characteribus hypostaticas differentias distinguat Paulus.

ſcire oportet dicturum de tantis, & tam reconditis myſterijs, quæ non à quouis exquiſitè & ἀποδεικτικῶς intelliguntur, ſed duntaxat ab his, quos ipſi plurimùm oderunt, Theologis eruditis & eiſdem Philoſophis, ſcilicet methodo quadam vnà cum ſacræ Scripturæ indubitatis teſtimonijs exquiſitè veritatem demonſtrantibus, & cognoſcentibus.

Decimum tertium Argumentum.

Præterea perabſurdum hoc illis etiam dictu videtur, ſi quis propter hypoſtaticam differentiam, Deum gignere, & non gignere, quia Deus ſit, dicat. Nam ſi quia Deus, Pater generaret, & genitum ex neceſſitate à gignente diuerſum ſit, ſequeretur, ſi Genitus, à Gignente Deo ſit diuerſus (quia Deus) eum numero etiam & Eſſentia fore diuerſum. Eſſentia enim, ab Eſſentia nequit diuerſa eſſe, niſi numero diſcrepent. At natiuitas hæc, ò Aduerſarij, multitudoq; propria eſt creaturarum, (vt antea diximus) non Dei omnipotentis, qui extra ſuam Eſſentiam omnipotentem Filium nequit generare, (vt aliàs eſt demonſtratum) & Multitudo, etiam ſine Vnitate Eſſentiæ nequaquàm adſcribenda eſt Omnium principio, id eſt, Deo. Quoniam, vt Ariſtoteles ſcribit, πρὸς ΕΝ πάντα συντέτακται, id eſt, ad Vnum omnia ſunt ordinata, & (citans Homerum teſtem) Dei Vnam Eſſentiam hoc celebrans verſiculo eundem multitudinis expertem oſtendit, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, id eſt, non eſt bonum multos regnare. Εἷς κοίρανος, id eſt, vnus ſit Rex, quo ſuſtulit multitudinem Deorum ignarus noſtræ Theologiæ Philoſophus, quam impiè tamen aſtruunt Aduerſarij noſtri propter inſcitiam & ruditatem ſuam. Non igitur multi Dij, neq; debent, neq; poſſunt aut eſſe, aut dici. Differentia autem quædam hypoſtatica eſt Dei Patris, qua

gignens

gignens ipſius, & patria potentia deſcribitur. Nec ſunt omnino idem, Deum ſimpliciter, & Deum αὐθαγαθὸν, id eſt, ipſum bonũ generare ſeu producere, quum τῷ λόγῳ, id eſt, ratione ſcilicet differant, ac ſecundum prius, & poſterius originis, de differentijs his hypoſtaticis prædicetur Deus, de tribus Perſonis, de quo copioſè in Diexodo ſuprà dictum eſt. Nec imperfectionis eſt porrò his tribus vnam Eſſentiam definiri, quum nihil ſit magis vernaculum, & proprium principio, quàm ſimplex eſſentiæ Vnitas, vt modò dixi. Perinde autem iſti ſunt animo affecti, atque hi Philoſophi, qui cùm Animæ longè diuerſiſſimas δυνάμεις, id eſt, facultates eſſe animaduertiſſent, videlicet, λογικὴν, id eſt, rationalem, θυμικὴν, i. iraſcentem, & ἐπιθυμητικὴν, id eſt, concupiſcentem, tres Animas Eſſentia diſcrepantes in homine eſſe cenſuerunt, quos præclarè refellit argumentando Ariſtoteles, nec eſt opus vt de his in præſentia plura dicam. Perfectionis illud eſt, inquam, & perfectæ vitæ, vt Vnum Eſſentia, pluribus nihilominus differat δυνάμεσι, i. facultatibus, quod ipſum quoque in Sancta Triade eſt conſiderandum, qua nihil eſt perfectius, imò ipſa perfectio. Plato hanc Vnitatem Sanctæ Triadis attigiſſe videtur, quando ſcribit in Philebo, in Iouis ſubſtantia eſſe βασιλικὸν Νοῦν & βασιλικὴν ψυχὴν, id eſt, regiam mentem. Nam nõ extra Iouis, οὐσίαν, id eſt, eſſentiam eſſe dicit Eſſentialiter diuerſa, vt ineruditi iſti Chriſtiani dicunt. Ego, & Pater, inquit Chriſtus, ſumus vnum. Certè non Vnum accidente, quæ eſt creata vnitas, ſed vnum Eſſentia, quæ eſt increata vnitas. Vnum enim οὐσία, id eſt, eſſentia numerant Philoſophi in principijs, quæ certe alio modo

Non eſt imperfectionis, tribus hypoſtaſibus Vnam Dei Eſſentiam definire.

Ioan. 17.

Vnum per accidens, eſt creata Vnitas.

Vnum οὐσία, eſt principium.

ſunt vnum, quàm ea, quæ per accidens Vnum dicuntur. Sed hæc inquiunt, ſunt Philoſophica. Fateor ſanè non ex eadem officina hęc deprompta eſſe, ex qua illi ſua arripiunt putidiſſima argumenta, qui à cõſuetudine ſenſuum nequeunt mentis aciem abducere. Vt autem Ecclipſis deficientis ſolis intuentium oculos nonnunquàm ſic infirmat, vt poſtea ſplendorem ſolis nequeant aſpicere excæcati tenebris, ita ſi nimis intenta acies mentis in has craſſorum errorum caligines & tenebras fuerit, obtunditur nõnunquàm ſic, vt planè cæcutiat, & lumen ſplendidiſſimum veritatis amplius ferre nequeat.

Decimum quartum Argumentum.

Ex quibus tenebris etiam illud eſt, quum opinantur filium non poſſe dici conſubſtantialem Patri, niſi eius ſubſtantia, de Patris ſubſtantia, ſit genita. Hoc modo autem creaturæ ſubſtantiæ, de ſubſtantia ſcilicet generantur, quarum videlicet Vnitas ſubſtantiæ (cauſa materiæ) eſt diuidua, quæ prorſus certè abhorrẽt à Diuinorũ perfectione. Quid verò ſibi vult illud Quaternitatis exprobratũ nobis futile ſomniũ? Neq; enim nos tres ſimpliciter Deos, ſed tres hypoſtaticas differentias, illum vnum ſimpliciter Deum eſſe dicimus, qua tres differentiæ non ſint in Deo, tanquàm ſubiecto quodam (quem ipſi quartum appellant, ſi Dijs placet) ſed quæ ſint ipſemet ille Vnus Deus, vt Animæ δυνάμεις, non ſunt in Anima, tanquàm ſubiecto, aut materia quadam, ſed ſunt ipſamet Eſſentia Animæ, differentibus ſcilicet quaſi partibus ſeu potentijs Animæ, non Eſſentia, ſed τῷ εἶναι, id eſt, definitione differentibus, & partibus ſigillatim ab Eſſentia totius Animæ diſcrepantibus τῷ λόγῳ, i. ratione, quæ

Subſtantiam de Subſtantia naſci, propriũ eſt creaturarum.

planiſſimè

planissimè, vt intelligẽda essent, suo loco ostendimus.

Nec ob id figurata, & tropica loquendi ratio, aut minimè vera & simplex erit, quando scilicet natum, passum resurrexisse dicimus Christum. Non enim, vt ista verè intelligantur dicta de persona Christi, opus est Essentiali Trinitatis personarum differentia. Etenim non patientibus alijs partibus (verbi gratia) nihilominus verè oculum passum aliquid possum dicere, ob id tamen necesse non est, vel Animam ipsam pati aliquid, vel potentiam hanc Animæ, quæ oculis vtitur, Essentia, & Substantia sua separatam esse à tota Essentia Animæ. His libenter quidem vtor exemplis, vt res proposita melius & rectius intelligatur, cui derogant ipsi tamen fidem, quia putant Essentia Vnum, non posse reuera esse quædam tria, & non etiam ternario esse locum, nisi tres quoq; sint Essentiæ: quæ Numero inter se differãt. Quemadmodũ tres homines (sic enim isti argumẽtantur) nõ possunt Vnus Essentia esse homo: ita corporea comparant incorporeis, & tenebras cum luce conantur iungere, hoc est, quod dicitur prouerbio, cœlum terræ miscere studẽt, & vt Plato alicubi de Heraclitijs scribit, ἱκανοὶ ὑπὸ σοφίας ὁμοῦ πάντα κυκῶντες ὅμως δύνασθαι αὐτοὶ αὑτοῖς ἀρέσκειν, id est, freti sua sapientia, simul omnia confundentes, & miscentes, nihilominus sibi ipsis placere possunt multùm. Proinde non sequitur, Res, & οὐσίαι, id est, essentiæ, materiæ causa discrepantes, inter se ita sunt comparatæ, vt Multa, Vnum Essentia non possint dici, Ergo, Essentiæ expertis materiæ Partes, aut differentiæ, sic erunt inter se comparatæ, vt Vnum Essentia scilicet φωνάμας illæ non possint esse. Quod ipsum quoq; Philosophis

Decimum quintum Argumentum.

ſophis quibuſdam impoſuit, qui Animam humanam totam negabant eſſe ὁμοιδῆ, id eſt, eiuſdem ſpeciei, & facultatem Mentis, à facultate ſentiendi ſtatuebant eſſentialiter ſeparatã, & vnam δύναμιν reſpectu alterius non poſſe quiddam eſſe ὁμούσιον arbitrabantur. Nos autem in talibus rebus non prouocamus ad ſenſum, qui nequaquàm eſt magiſter veritatis, quum non percipiat (vt Plato dicit) οὐσίας, ſed ad mentis oculos, & iudicium, quo attingimus iſta ad quæ ſenſus peruenire nequit, quum ſcilicet non percipiat res incorporeas propter ruditatem, ſenſus noſter.

Quidam Philoſophi negarunt potentias Animæ eſſe ὁμουσίους.

Decimum ſextum Argumentum.

Ad extremum, citant etiam Hilarium teſtem, qui tamen minimè pro ipſis facit, quandoquidem de Trinitate idem ſentiat quod nos ſentimus, ſic autem ſcribit Hilarius: Nihil in his nouum eſt, nihil alienum, nihil ſeparabile, dum in Patre, & Filio, credere duos Deos impium eſt, dum Patrem, & Filium ſingularem Deum prædicare, ſacrilegium eſt, dum Deũ, ex Deo, quod in ſimilitudine generis vnum ſint, negare blaſphemum eſt, Hactenus ille. Tria ſunt, quæ hoc loco damnat Hilarius, tanquam hæreticè, & impiè dicta. Primò, ſi quis dicat Patrem, & Flium, duos Deos, id eſt, duos non tantùm differentijs hypoſtaticis diſtinctos, ſed & eſſentijs diſcretos, negando ſcilicet ὁμουσίαν, id eſt, coëſſentiale. Secundò, ſi quis hypoſtaticas differentias tollendo, ſimpliciter Deum eſſe Vnum, pronunciauerit, id eſt, Patrem, & Filium, nulla re differre ſtatuat, ſed negando has differentias, Deum ſingularitate duntaxat eſſentiæ deſcribendum exiſtimet, vt fecit Sabellius, qui hoc modo Patrem, & Filium, vnum Deum eſſe opinatus eſt, vt non niſi appellationibus

Hilarius non facit pro Aduerſarijs.

Sabellij error.

nibus distinctos inanibus arbitraretur, non reipsa discrepantes, & hypostaticè, vt Catholici sentiunt. Tertiò, damnantur etiam illi, qui cùm audiunt Deum ex Deo genitum, Vnitatem Essentiæ diuulsam arbitrantur, nec Patrem, & Filium Vnum essentia Deum credunt, quam Vnitatem Essentiæ Hilarius adumbrauit similitudine Generis. Nam vt specie differentia, nihilominus sunt Vnum genere, quæ est quædam specierum differentium vnitas Essentialis (quum Genus includatur in definitione & Essentia specierum,) Ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tametsi differant hypostaticè, nihilominus tamen sunt Vnum vnitate Essentiæ eiusdem, non huius Vnitatis quodam Genere, sed Numero Essentiæ eiusdem. Iccirco Hilarius dixit, non Genere, sed similitudine generis, aliquid Vnum esse, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Pro aduersarijs hæc non faciunt, sed contra ipsos, vt ex Hilario nullum sui erroris patrocinium habere videantur. Eodem sensu dictum illud etiam est ab eodem. Manere in Filio Patrem, nō est singularis, atq; vnici, Operari verò per Filium, Patrem, non est differentis, aut exteri. Sicuti non Vnius est, non à se loqui, quæ loquitur: neq; rursum alieni, ac separabilis sit, loqui, per loquentem. Sed hoc Sacramentum est, quia Vnum sunt, quia vterq; non aliud, & aliud sunt, quia per naturæ proprietatem, in se sunt, quorum hęc vnitas est, vt loquens, non à se loquatur, neq; qui non loquitur, nō loquatur. Et postea, quod inprimis contra aduersarios pugnat, qui non nisi similitudine virtutis, & nō Identitate naturæ, Patrem, & Filium, Vnum Deum dicunt. Sic enim Hilarius: Ne

N ergo

ergo per virtutis efficientiam, & non per naturę (quæ ſecundum natiuitatem eſt) proprietatem, Pater, in Filio & operari crederetur, & loqui, ait, Credite mihi, quoniã ego in Patre, & Pater in me eſt. Hactenus ille. Proprietatem naturæ appellat, vnã numero Eſſentiam Patris, & Filij, non qualitatem eandem virtutis in pluribus. Quum Pater, & Filius, non tantùm ſint virtute æquales, ſed etiam ſint natura Vnum, & non quadam diuidua natura, ſed indiuidua penitus natura, id eſt, propriè, quæ ſimpliciter, nempe ad numerum vna, non Genere, aut Specie vna ſit, quibus diuiduũ quodãmodo eſſentijs vnũſignificatur. Pater itaq; & Filius, licet ſint duo, nõ tamen ſunt duo Dij, ſed duæ hypoſtaſes. Nec quando, Deus, de Deo dicitur genitus, ſimpliciter & ſecundum eſſentiam intelligendum eſt, ſed hypoſtaticè, quia ſcilicet Filius, de Patre, qui per Eſſentiam tamen Vnam numero, ſunt Deus vnus, ſed propter differentias hypoſtaticas, non Vnum hypoſtaticum, ſed dicuntur duo quædam eſſe aut Tria. Præterea Principij vocabulum, Deo rationibus duabus adſcribitur. Vna reſpectu eorũ quæ ſunt extra Diuinam eſſentiam. Altera, qua intra eſſentiam, Pater principium gignens eſt Filij. Principium, hac ratione, eſt Pater, & Filius à principio, vt gignente diuerſum eſt quiddam non eſſentia, ſed hypoſtaſia. Alioqui enim, ſi Pater genuiſſet alium Patrem, ὁμοούσιον, i. conſubſtantiale ſcilicet gignens, & genitum, nõ fuiſſent. Duo enim eiuſdem definitionis, & rationis, non poſſunt eſſe ὁμοούσιον, id eſt, cõſubſtantiale quiddam, vt ſi Petrus generat Paulum. Hypoſtaticè enim quæ nõ differunt, ſi nihilominus diuerſa ſunt, & non

Pater, & Filius, non tantum virtute, ſed etiam Eſſentia ſunt Vnum,

Principij ratio duplex adſcribitur Deo.

Si Pater genuiſſet Patrem, non potuiſſent eſſe ὁμοούσιοι gignens, & genitus.

non idem, necesse est vt differant numero seu οὐσίᾳ, i. essentia. Alioqui enim omnino Vnum & idem essent. Quo fit etiam, vt Aduersarij nostri, quum negent hypostaticam differentiam aliquid esse in Diuinis, cõfugiant ad Essentialem differentiam. Nos autem negamus plura per essentiam esse principia (quoniam pluralitas & multitudo alienissima est à natura principij,) & dicimus Vnum Essentia esse Deum, & principium Vnum omnium, à quo, per quem, & in quo sint omnia creata: & vnum Deum Patrem hypostaticè, & Vnum Deum genitũ, ac Filium, hypostaticè, Vnius numero, & eiusdem Essentię Dei ambos, & Vnum ab vtrisq; procedentem Spiritum sanctum, eadem essentia subsistentem, qua producentes ipsum subsistunt. Atq; ita sensisse, tum Basilium, tum Nazianzenũ, & præterea omnes Hebręorum, Grę corũ, Latinorumq; Patres, nec non interpretes Mysterij huius vnà cum sacra passim consentientes scriptura, manifestius est, quàm vt probationẽ alicuius desideret. Ego quidem hactenus horũ autoritate magnopere Patrũ vsus non sum (quoniam suam illi Aduersarij nobis opponunt autoritatem, suasq; interpretationes, quas Patribus etiam, Scolasticisq; Doctoribus vt opponũt, ita quoq; eisdem temerè præferunt & præponunt,) sed tamen scripturarum rationibus contra ipsorum opinionem & errorẽ pugnaui, vt spero firmissimis: quibus ostendi etiam nostrã, id est, Catholicam, orthodoxam atq; Nicenam fidem de Sancta Trinitate esse veram & consentaneam scripturis, Aduersariorum autem, falsam, & sacris oraculis scripturarum minimè consentientem, & ab eisdem alienissimam opinionem esse.

Deus Optimus Maximus suo Sancto Spiritu faciat, vt de ipso ita sentiamus, talem sine errorem credamus esse, quem & qualem se nobis in Propheticis scripturis & Apostolicis, & in primis, qualem se per suũ vnigenitum Filium Iesum Christum manifestauit in suo Euangelio: eodemq; Spiritu mentes nostras misericors & omnipotens illuminet, quo olim Prophetas, Sanctos & Apostolos interpretes suæ voluntatis, & veritatis illustrauit: è medioq; tollat scandalum hoc, in quo offendentes Turcæ, & Iudæi, fidem nostram falsò impietatis accusant, criminantes scilicet Christianos, quia consuerint nõ Vnum scilicet, sed plures colere, & inuocare Deos, & hallucinari, & eò ipsos à vero cultu aberrare dicunt, quod equidem nõ nobis, sed Aduersarijs nostris parùm Christianè sentientibus & Catholicè, meritò potest exprobrari. Ab illorum autem errore proximus est Turcarum error, qui pluralitatem Antitrinitariorũ hanc Deorũ negatione Trinitatis falsa Vnitatis opinione stultè & impiè corrigũt. Ab vtrisq; non piè credentibus sectis defendat nos, Vnus & Trinus, Omnipotens, & Æternus Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, cui laus, honos, & imperium per omnia secula Amen.

FINIS.

INSTYTUT OSSOLINSKIEGO
9235
0

9295
0